



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio II. De anima Rationali secundum se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO II.

De Anima rationali secundum se.

Communia prædicata animæ, vel sumi possunt pro communibus genericè, & in istis convenit cum aliis animabus, petiq; possunt ex dictis supra de Anima, ut quod sit actus corporis, quod sit vita &c. Sumi etiam possunt prædicata communia animæ, pro communibus specificè, vel si mavis dicere, pro prædicatis animæ rationalis, in se spectatæ, ut quod sit spiritualis, quod indivisibilis, perfecta &c. similia. *Sit*

QVÆSTIO I.

De spiritualitate Animæ.

Pono hunc titulum, ad servandam potius methodum, quam ad discurrendum de eodem. Quia in materia de Angelis, discurrendo de incorporeitate Angelorum, manet explicata ratio Entis spiritualis ut sic. Quamquam ut verum fatear, colligiq; potest ex inibi dictis, non potest formari conceptus aliquis Entis spiritualis, per exigentiam radicalem maximæ subtilitatis, ipsam subtilitatem, pro aliquo substantiali accipiendo. Hac ergo quæstione in illum locum rejecta. *Sit*

QUÆSTIO II.

De Indivisibilitate Animæ rationalis.

Itahic tractabitur de prædicato indivisibilitatis, ut simul etiam attingatur prædicatum divisibilitatis animarum, alicubi reperibilis.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum de Anima rationali?

Dicendum est I. *Animam rationalem esse indivisibilem in partes essentielles*; hoc est, non compositam ex materia & forma.

PROBATUR I. communiter. Si constaret anima materia & forma, esset ens completum, si esset ens completum, non posset facere cum corpore ens per se, adveniret enim tanquam quid completum parti incompletæ, h. e. corpori.

RESPONDEBIS ex Ariaga. Si anima componeretur ex materia spirituali, & sua Entitate, posset adhuc dicere ordinem ad materiam, ut ita dicam, materialem. Et sicut anima, in omni sententia, in quantum informat, dicitur actus; in quantum recipit accidentia, dicitur subiectum; sic materia illa spiritualis, respectu materiæ materialis haberet se per modum actus, respectu verò ipsius animæ, tanquam materia & subiectum.

CONTRA. Tum quia, ut urget Oyiedo, si ideo illa forma est incompleta, quia ordinatur cum sua materia, ad aliam materiam, dici etiam poterit, quod compositum illud, adhuc posset

ordinari ad aliam materiam: & hoc compositum constans jam tribus materiis, ad aliud compositum, constans quatuor materiis. Tum quia. Si forma componitur ex materia & sua Entitate, quæro, illa ratio alijs partis, quam tu appellas actum, an sit composita, vel non? Si non est composita: Ergo neq; prior est composita, cur enim hæc potius exigeret componi, quam alia? Si autem etiam illa altera pars, adhuc est composita, quæram de illa ipsa adhuc, & sic aut dabis processum in infinitum in istis compositionibus, aut devenietur ad aliquam formam, non compositam, & hæc sola, potius erit verè forma. Tum quia, non esset ratio, cur potius non fieret tunc aggregatum tantum ex tribus: illa scil. forma ita composita, & ex materia; non autem fieret unum per se; cum tamen forma, ordinetur per se, non ad aliquod constituendum aggregatum, sed ad constituendum unum per se.

PROBATUR 2. Subiectum primum, non est compositum: Ergo nec actus primus, est compositus; sed forma est actus primus, est enim quid correlativè respondens subiecto primo: Ergo forma, non est quid compositum. Antecedens primum probatur, simulq; consequentia. Quia si subiectum primum, & actus primus, supponeret aliud subiectum, & alium actum, utrumq; illud primum, non esset primum.

PROBATUR 3. Forma, vel dicit essentialem ordinem ad subiectum primum, vel non dicit: si non dicit, forma non est; dicere enim talem ordinem, de ratione formæ est, utpote informative. Si autem dicit essentialem ordinem ad subiectum primum, supponere priorem materiam non potest, hoc ipso enim non diceretur ordo essentialis ad subiectum primum.

RESPONDEBIS. Respici subiectum primum à forma, sed non sub formalitate primi, cum possit forma per prius respicere materiam, ex qua componitur.

CONTRA. Tum quia, non implicat contradictionem forma, respiciens subiectum primum, sub ratione primi: nec apparet, cur non omnis forma, debeat esse talis. Tum quia immerito jam appellaretur subiectum primum, materia, cum ante illam detur prius, h. e. materia ipsam formam componens. Tum quia, sicut creatura refertur ad Deum, non tantum ut causa est, sed ut causa prima est, ita & forma, refertur ad subiectum primum, etiam quia primum est.

DICENDUM 2. *Animam rationalem carere partibus integranibus.* Plures pro hac conclusione adferibiles rationes examinat Ariaga hic disp. I. sect. 4. subsec. 8.

PROBATUR I. ratione, quæ communiter censetur esse efficacior. Quia si anima rationalis est

lis esset divisibilis, abscisso brachio, pars correspondens brachio, vel ipsa etiam abscinderetur, vel non. Si non abscinderetur, quomodo esset divisibilis. Si abscinderetur, quæro, vel maneret separata ab aliis partibus, vel non maneret. Si non maneret. Ergo corrumpetur, falsum autem est animam esse corruptibilem. Si maneret? ubinam maneret? possetne una pars damnari, alia adhuc mereri salutem, & cætera similia.

RESPONDEBIS ex Ariaga, quod posset pars animæ abscisso brachio, uniri aliis partibus animæ, non informando tamen, illas partes materiæ, quas præinformatas ab aliis partibus animæ, inveniret.

CONTRA est. Quia arbitrariè asserit istam unionem partium animæ, cum aliis partibus, & si aliæ divisibiles partes aliarum animarum, post abscissionem, non se sibi uniunt, cur hæc se uniunt. Imò illæ partes, ut urget Oviedo, essent in statu separationis à corpore, utpote quod non informarent, consequenter posset operari independentem à corpore. Et quamvis diceret, has nonnisi partes, quæ sunt in capite, esse intellectivas, deberes saltem etiam illis, operationem aliquam spiritualem attribuire, concedereque quod de facto detur aliquid substantiale spirituale, non tamen intellectivum.

RESPONDEBIS 2. ex eodem Ariaga. Quod quantumvis anima sit divisibilis, habeat tamen modum existendi, consimilem corpori Christi, ut scilicet sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quo casu, etiam si abscinderetur brachium, nullam adhuc partem animæ, admitteret homo.

CONTRA est. Quia nulla est necessitas, & nullum fundamentum, tribuendi divisibilitatem animæ, & partes. Deinde modus existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, est modus existendi rerum non habentium divisibilitatem, ita ut divisibilia existere eo modo, non nisi divinitus possint; hinc, si concedatur talis modus existendi animæ, isque connaturalis, hoc ipso negabitur illi divisibilitas partium.

PROBATUR 2. Illud Ens spirituale, habens partes divisibiles, & existeret connaturaliter totum in toto, & totum in qualibet parte; & non existeret. Non existeret quidem, quia esset divisibile, divisibili autem, ut dixi, connaturaliter non competit talis modus existendi. Haberet autem talem modum existendi, quia esset Ens spirituale, cui non potest competere modus existendi corporum, ut scilicet pars parti commensuratur. Respicit hæc ratio illud principium, quod scilicet omne Ens determinet sibi modum existendi, quo, aliud, saltem connaturaliter, existere non poterit. Ita Deitas determinat sibi ubiquitatem, corpora commensurabilitatem, & spiritus, ubi est, ut sit totus in toto, & totus in singulis partibus, connaturaliter.

OBJICITUR 1. Si anima non haberet partes, & indivisibilis, posset informare corpus di-

visibile, etiam divisum & separatim informare posset. Quia non plus subjecti informaret, quam informet, informando magnum aliquod corpus.

RESPONDET Recentior Suarez unam formam, ordinari nonnisi ad unam materiam. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Cur enim dissitæ materiæ, non erunt per modum unius, sicut sunt per modum unius plures partes materiæ. *Neg, valet si dicas*, quod una anima constitueret hinc duo composita. Cur enim illi hoc tribui non poterit, modo in utroque, non plus sit materiæ, quam aliàs in uno. *Negue valet*, si recurras cum Oviedo, ad aliquam organisationem. Quia in duplici loco non potest esse Angelus, vel anima; & tamen organisatio ad hoc non requiritur. Non ergo impotentia informandi duo corpora separata, rejici debet in defectum organisationis præcisæ, quærereturque restabit, cur organisationem partium, nonnisi unitarum, requirat anima.

RESPONDETUR aliter. Quantumvis non plus esset materiæ in separato corpore, quam in partibus unitis, nihilominus duas separatas materias, non posset informare anima, quia esset in pluribus locis adæquatis, quod non potest contingere sine replicatione, quæ ipsa non est naturalis. Et sicut si ponamus sphaeram localitatis Angeli, A, esse unam leucam, posset presentem se facere Angelus, toti leucæ sine replicatione, & tamen solis extremis partibus leucæ, non se posset presentem facere, sine replicatione; debetque se facere presentem etiam medio; sic & in presenti; aliàs distaret anima à seipsa, nec esset ratio, cur non plus & plus distinctas posset informare materias. Sicut posito quod aliquid semel posset operari in distans, non esset ratio, cur non posset in magis & magis distans operari.

OBJICITUR 2. Quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Sed recipientis animam est divisibile. Ergo & ipsa anima est divisibilis.

RESPONDETUR. Sicut non sequitur ex eo, quod recipiens animam, sit corporeum, etiam animam esse corpoream; sic nec sequitur in presenti, esse divisibilem animam; & ad Majorem verificandam, sufficit, quod recipiatur secundum capacitatem subjecti forma, quæ capacitas, est quasi mensura recipiendi.

OBJICITUR 3. Si est indivisibilis anima quomodo salvari poterit, quod eadem duplici motu contrario non moveatur, nec habeat præsentiam duplicem.

RESPONDETUR. Anima sine ulla sui replicatione, ex vi modi existendi spiritualibus debiti, habet quandam virtutalem multipliciter. Vi cuius multipliciter virtualis, principiat motus diversos, moveturque tota in toto, & tota in qualibet parte, licet ipsos motus contrarios ipsa non

non recipiat, sed recipiuntur in diversis organis, in quibus sunt, existensque tota in toto, & tota in qualibet parte, habet etiam ubi (quod est mera formalitas) totum in toto, & totum in qualibet parte; adeoque nec habet præsentiam duplicem.

QUÆRES. Cur materiam maiorem & maiorem, modo unitam, non possit informare eadem forma.

RESPONDETUR. Quia organisatio, transmissio spirituum, & alia ad vitalitatem requisita, requirunt determinatam magnitudinem, certum spatium &c. consequenter anima, in informatione, ab his dependens, quamcunque molem informare non potest.

DIFFICULTAS II.

An soli Animæ rationali indivisibilitas competat.

DE viventibus perfectis, qualia sunt bos, leo, &c. & de viventibus imperfectis, quales sunt plantæ, insecta &c. procedere potest quaestio. Et de plantis quidem non est tanta difficultas, quia abscissus ramus, colligitur vivere; proximè enim insertus floret, radicem agit &c. quæ omnia animam indicant. Si enim indivisibilis esset anima, ramum & truncum informans, quomodo posita divisione, utrumque informaret. *Neque valet si dicas*, aliam tunc produci animam; quod enim agens producit illam; in Deum etiã tanquam auctorem naturæ, id rejici non potest. Quia Deus agit ut auctor naturæ, ad existentiam creaturarum: quæ autem est exigentia in ramo, ad producendam novam animam trunci. *Neque valet si dicas*. Idem accidere ramo inserto, quod grano, quod aliam vitam habet, dum est in spica à se genita, & aliam, dum erat in spica, à qua primò producebatur. Non inquam valet si dicas, quia ramus, si emoriatur, nunquam virefcet. Ergo apparet, quod si insertus crescat, habuerit vitam. Jam autem granum exsuccidum, mortuum, non nisi post corruptionem vivit, consequenter aliã numero vitã. De insectis communius docetur, quod animam habeant divisibilem. Nam partes serpentis dissectæ, salunt, tactæ, retrahunt se. Unde colligitur, illas partes vivere. Sed si id quisquam referre vellet in spiritus remanentes, ægrè convinci posset. Nam etiam circumfertur experientia, quod homo recenter decollatus, & aciculâ punctus, retrahat sese.

In præsentia de hoc est difficultas, an perfectæ animalia, habeant animas divisibiles.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum de Animabus perfectorum animalium.

DICENDUM est. Perfectæ animalia habere animas divisibiles. Ita Scotus, Suarez, Hurtado, Ariaga, Oviedo.

PROBARI solet 1. Forma materialis equi,educta de potentia materiæ, sufficienter dependet à materiâ, quam informat in primo instanti generationis. Ergo illa materiâ est causa adæquata illius. Ergo quando equus augetur, non potest habere dependentiam, à materiâ, acquisita per nutritionem. Ergo produci debet nova pars formæ, quæ incipiat dependere à nova materiâ. Ergo equus jam nutritione adauctus, constat partibus formæ. Nempe una parte formæ dependente à materiâ, quam in generatione habuit, & alia parte formæ, quæ dependet à materiâ, per nutritionem acquisita.

RESPONDEBIS ex Ariaga. Quia fieri potest, ut prior materiâ accessu aliûs per nutritionem acquisitæ, temperet suum concursum, & admittat concursum aliûs materiæ, & ita ab utraque dependeat partialiter, ita tamen, ut casu quo una deficiat, altera vicem talis causæ, habere possit.

CONTRA. Non apparet, quid possit attemperari concursus causæ materialis. Nam quod in genere causæ efficientis attemperari possit, inde est, quia agens non applicando, & non exercendo totam vim suam activam, diminuat suum concursum; sed in causalitate materiali, quæ est mera passio, sustentatio &c. non apparet quid id fiat. Et sicut non apparet, qui sol actu attemperet suum concursum illuminativum, in circumstantia lucis aliûs; sic nec in præsentia.

PROBARI solet 2. Si forma materialis esset indivisibilis, deberet esse tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Hoc autem dici non potest. Quia is modus existendi, est proprius rerum spiritualium; & hoc concesso materialibus, elevabitur magnitudo miraculi in Eucharistia, in qua miraculose corpus Christi existit totum in tota hostia, & totum in qualibet parte.

RESPONDERI posset; modum existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, esse debitum titulo indivisibilitatis, non spiritualitatis. Quia verò corpus Christi, titulum indivisibilitatis non habet, fit, ut talis illius existentia sit omnino miraculosa.

CONTRA. Si modus existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, sequitur titulum indivisibilitatis, etiam puncta materialia, deberent eundem modum existendi participare; quod non concedent oppositi: præcipue quia arbitrariè dicitur, quod prædictus modus existendi, sequatur titulum indivisibilitatis.

PROBATUR 3. Forma indivisibilis, & tamen materialis, hoc ipso quia est materialis, educitur de potentia materiæ. Si educitur de potentia materiæ, vel educitur ex materiâ divisibili, vel ex materiâ indivisibili. Si educitur ex divisibili materiâ, quæro, an educatur tota ex tota materiâ, & tota ex qualibet parte? Si non edu-

educitur tota forma, ex tota materia, & tota, ex qualibet parte: Ergo non salvas quod indivisibile ex divisibili educatur. Non enim aliter quam dicto modo, indivisibile ex divisibili educi potest. Si autem forma indivisibilis, educitur ex divisibili materia, tota scilicet forma indivisibilis ex tota materia, & tota ex qualibet parte materiae. Ergo dabuntur plures causae adaequatae totales ejusdem Entitatis. Quia scilicet unicuique parti materiae, conveniret totaliter esse causam adaequatam, ejusdem formae indivisibilis, quod naturaliter repugnat. Quod si forma indivisibilis educitur ex indivisibili materia. Contra erit. Quia Thomistae non agnoscunt indivisibilitatem materiae. Deinde etiam concursus conservativus deberet esse indivisibilis, sicut & prima productio, & tamen concursus conservativus, dicitur esse attemperabilis, adeoque non sistens in indivisibili.

OBJICITUR 1. Nullum est fundamentum, admittendi formas divisibiles; praecipue, cum sicut posita abscissione pedis humani, nihil plane operatur pes humanus; sic nec operatur pes equi abscissus. Imò quamvis adhuc operaretur, quæri adhuc posset, an id, in aliud, quam in animam, referri non posset; ut quæritur, cur interdum truncatum caput, decollati immediate, post idem pronuntiet: v. g. JESUS.

RESPONDETUR. Fundamentum esse ex rationibus adlatis. Quod autem æque non operetur pars bruti a hominis abscissa, in id referri debet, quia ad operationem requiritur certa organisatio, dispositio, transmissio spirituum, & cætera similia, quæ non habentur, si bruto præscindatur pes.

OBJICITUR 2. Possibilis est anima indivisibilis brutorum, dependens à materia divisibili, nec est ratio cur ea, quæ defacto dantur, non sint indivisibiles.

RESPONDETUR. Non apparere quidem implicantiam claram, quod tamen defacto non sint indivisibiles, probant rationes adlatae.

OBJICITUR 3. Si animæ materiales sunt divisibiles, tunc pars leoninæ animæ, & erit anima, & non erit. Erit anima, quia ita se habebit sicut gutta aquæ, quæ etiam est aqua. Et non erit anima, quia hæc est actus corporis organici; pars autem animæ non est actus corporis organici, sed est actus solius organi.

RESPONDETUR. Animæ partem esse animam partialiter, licet ex usu humano, non appelleretur simpliciter anima. Nec obest quod pars animæ, sit, non nisi actus organi. Quia esse actum corporis organici, spectat ad animam totaliter acceptam, non verò ad animam partialiter, & non integraliter acceptam. Et sicut in humanis, dicitur interdum, non est hic totum vinum, quamvis id, quod est, sit etiam vinum; ita & abscissa parte animæ leoninæ, non erit tota anima leonis, licet remanentes partes, sint etiā anima.

OBJICITUR 4. Ex eo, quod anima rationalis intenta uni operationi, cesset ab aliis, rectè inferitur illam esse indivisibilem. Ergo cum etiam animalia perfectiora, intenta uni operi, cessent ab aliis, rectè inferetur, animas illorum esse indivisibiles.

RESPONDETUR. Sicut ex multitudine operationum, quæ simul proficiuntur ab anima rationali, non rectè inferretur ejus divisibilitas, sic nec ex illa revocatione ad unam operationem, rectè inferretur ejus indivisibilitas; præcipue cum illa revocatio, possit referri in incipiam spirituum, comprecipiorum defectum, conditionem agentis, à posteriori cognitam.

OBJICITUR 5. Percussus canis totus se movet, ad se defendendum. Ergo apparet indivisibilem esse animam illius.

RESPONDETUR. Motum illum referri posse in sensum communem, qui illuminat appetitivam sensualem, de malo imminente. Hoc verò, despotice movet potentias loco motivas, & alia organa, ad avertendum impendens malum.

OBJICITUR 6. Albedoeducta de subiecto dulci, non debet esse dulcis. Ergo nec formaeducta à materia divisibili, debet esse divisibilis.

RESPONDETUR. Cum ipsa dulcedo, non sit id, ex quo educitur albedo, nec influat in illam, hinc albedoeducta è subiecto dulci, non debet esse dulcis. Quia autem forma materialis, educitur è subiecto divisibili, & ipsa divisibilis debet esse.

OBJICITUR 7. Nulla necessitas multiplicandi partes formæ materialis.

RESPONDETUR. Necessitatem ostendi, adlatis rationibus.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur argumenta Recentiorum.

MAURUS QUÆST. 27. docet probabilius esse, quod animæ perfectorum brutorum, sint indivisibiles. Insectorum autem animas, putat esse divisibiles, sed in partes potentiales.

OBJICIT 1. Si anima cognoscitiva & appetitiva canis, aut serpentis, constat ex partibus actualibus vel plures partes simul cognoscunt & appetunt, vel una tantum. Si una tantum, quæ non consistet ulterius ex partibus actualibus: Ergo anima cognoscitiva & appetitiva, non consistat ex partibus actualibus. Si plures partes cognoscunt & appetunt: Ergo sunt plura formaliter cognoscencia & appetentia; taliter autem plura, per nullam unionem possunt constituere, unum formaliter, cognoscens: sicut plures animæ rationales, quantumcunque unirentur penetrativè, in eodem corpore, adhuc non possent constituere animam unam cognoscentem. Si verò dicatur, quod ita omnes partes simul cognoscant & appetant, ut non simpliciter seorsim cognoscant & appetant.

CON-

CONTRA est. Quia ita, nec tota multitudo, cognosceret & appetet; Sicut exercitus ex eo videtur solem, quod singuli milites videant solem.

RESPONDETUR. Quod attinet ad Obiectum difficultatis contentae, illud in hoc versatur, an sit concedendum quod omnes partes animae bruti, concurrant ad cognitionem v. gr. de quo infra. Qui diceret, omnes partes animae concurrere ad cognitionem, consequenter diceret, quod ita concurrant, sicut concurrunt omnes partes rogi, ad obiectum distans igniendum, quantumvis poneret illam cognitionem, non nisi in cerebro exerceri. Sicut etiam ignis fit, in aliqua determinata parte passus; eruntque plura formaliter cognoscencia, hoc est plura partialia, ad eandem notitiam fabricandam concurrentia, sed non plura cognoscencia, adaequata; & licet plura cognoscencia adaequata, non possint inter se uniri, quales sunt animae rationales, hoc enim ipso, quia sunt cognoscencia adaequata, excludunt rationem unibilium: plura tamen cognoscencia inadaequata, quorum termini sunt idem, hoc ipso quia termini eorum sunt idem, bene uniri possunt, & sicut quamvis lapis & arbor, per nullam unionem constituent unum; tamen plures ignes, partialiter ad igniendum concurrentes, constituunt unum ignem; ita & constitutivae partes, animae bruti, ad notitiam concurrentes, unum noscens constituent, licet non possint constituere unum noscens, plures animae rationales. Consequenter ad dicenda infra, defendi debet, quod tantum pars animae bruti, residens in organo notitiae fabricandae, producat notitiam, licet illa pars, habeat etiam plures partes; quomodo autem illis partibus competat uniri, iam dictum est. An autem illae actus, an potentiae distinguantur, proportionaliter discurrendum, ac de partibus continui. Haec autem consequentia non tenet. Si una tantum pars cognoscit, quae non constet ulterius ex partibus actualibus, Ergo anima cognoscitiva & appetitiva, non constar ex partibus actualibus. Non unquam tenet, quia illud productivum notitiae, licet ipsum non habeat partes, poterit esse ipsum pars, comparatum ad residuum animae bruti perfecti; aut habere partes potentiales, licet non habeat partes actuales, adeoque nec esse, indivisibile quid.

INSTAT Idem. Quia vel duae partes animae, cognoscunt per duas partes cognitionis, vel non. Si non per duas partes, Ergo cognitio illa, non constar duabus partibus, quarum una sit in una parte animae, & altera pars notitiae, in altera parte animae, nec extenditur cum suo subiecto. Ergo multo magis non extenditur ipsa anima bruti, sed erit tota in toto, & tota in qualibet parte. Si autem dixeris partem animae bruti, cognoscere per diversam partem cognitionis, apparet magis impossibile, quod plu-

ra cognoscencia, per diversas cognitiones, constituent unum cognoscens.

RESPONDETUR. Cum divisibili, proportionatus effectus divisibilis sit, etiam illa notitia, profecta, a partibus animae divisibilis, divisibilis erit; poteruntque plura illa cognoscencia inadaequata, constituere unum cognoscens: Sicut plures partes ignientes, constituunt unum ignem, & plures partes cognoscibiles, constituunt unum cognoscibile, praecipue cum non sit necessaria major unitas, inter partes cognitionis & cognoscens, quam inter partes cognoscibiles.

QUAERES, cur plura adaequata noscencia, uniri inter se non possint, possint inadaequata.

RESPONDETUR. Plura cognoscencia adaequata, hoc ipso quia adaequata sunt, dicuntur rationem totius; adeoque excludunt formalitatem actus & potentiae, formalitatem item potentium habere eisdem terminos: quod non competit in adaequatis noscentibus.

OBJECIT II. Idem. Ex operatione propria cujuscunque formae, innotescit modus essenditalis formae. Sed animae brutorum, per operationes cognoscendi & appetendi, secundum idem intentionaliter, ununtur, toti obiecto cognito. Ergo ununtur etiam physice toti formato subiecto, & omnibus partibus subiecti.

Minor probatur. Quia cum anima canis cognoscit & appetit panem, quem videt, eadem pars animae, quae cognoscit & appetit totum panem, cognoscit & appetit omnes partes illius; neque enim potest fingi, quod prima medietas animae, cognoscat & appetat solum primam medietatem panis. Immo si nulla pars animae cognosceret totum panem, neque tota cognosceret totum panem; ad eum modum, quo, si ex duabus intellectibus, neuter cognoscit totum binarium, sed singuli singulas unitates, neque etiam uterque intellectus, cognosceret formaliter binarium. Item si intellectus per quatuor cognitiones, cognoscat seorsim quatuor unitates, & non sit cognitio, quae cognoscat, simul dicendo, quatuor, iste intellectus non cognosceret formaliter quatuor. Ergo a fortiori, si plures partes animae bruti, diversis cognitionibus cognoscunt plures partes panis, tota anima bruti, non cognoscit totum panem, & tamen canis cognoscit & appetit totum panem. Ergo per eandem partem animae cognoscit totum panem, & ejus partes, & unitur intentionaliter toti panem, & partibus illius. Sed anima cognoscitiva & appetitiva, habet esse proportionale, ad suam operationem cognoscitivam & appetitivam. Ergo sicut operatio cognoscitiva & appetitiva, tota, afficit totum obiectum, & tota, singulas partes obiecti, ita anima cognoscitiva, tota est in toto subiecto, & tota in singulis partibus obiecti.

RESPONDETUR. Imprimis, haec probatio,† (M) nihil

nihil habet de indivisibilitate animæ brutorum perfectorum, & divisibilitate animæ insectorum in partes potentiales: cum tamen id probari debuerit. Hinc jam patebit retorsoni locus, an scilicet animæ insectorum, divisibili cognitione noscant objecta; red huncque argumenta facta. Si autem animæ insectorum noscant indivisibili cognitione, & ipsæ debent esse indivisibiles, cum anima, debeat esse proportionata suæ operationi. Retorquetur rursus argumentum. Sit statua v. gr. anea, quam trahant diversa animalia, non est imaginabile, quod hoc animal trahat crines effictos, illud dentes, sed idem animal, debet trahere totum, & partes illius: numquidne jam tractio, partes non habebit divisibilis que non erit? Idem dic de illuminatione profecta à pluribus luminosis, quæ non est indivisibilis. Denique directè dici potest, negando minorem. Nego enim quod animæ brutorum, licet uniantur intentionaliter toti objecto cognito, uniantur secundum idem: hoc est, per cognitionem indivisibilem. Nego enim, quod una pars cognitionis materialis, non respondeat uni parti objecti materialis, & tota notitia, toti objecto: licet fortasse concedi possit, ita illas esse inter se penetratas, stante pluralitate partium, ut sunt penetrata species impressæ, ab objecto materiali porrectæ: Eadem pars animæ, quæ cognoscit & appetit panem, cognoscit & appetit omnes partes ipsius, eadem quidem anima, sed divisibilis, appetit panem & omnes partes illius, sed notitia divisibili. Et licet non dicatur, quod prima medietas animæ, cognoscat & appetat, solam primam medietatem panis, eo quod tota, saltem hæc pars animæ, quæ residet in organo noscendi, eliciat divisibilem cognitionem illam, licet dici possit, quod hæc quidem medietas notitiæ, attingat hanc medietatem panis, illa autem medietas notitiæ, attingit illam medietatem: quia autem & tota cognitio, & partes cognitionis, uniantur animæ parti, residenti in cerebro, ideo dicitur quod anima bruti, cognoscat omnes partes panis, & totum panem. Concedo si duo intellectus cognoscant singulas unitates, neutrum intellectum cogniturum binarium. Quia cum principia illa sint adæquata, notitia unius intellectus, nec illi intellectus uniri nati sunt inter se: uniantur autem inter se, & uniri nata sunt, partes divisibiles animæ bruti noscitivi. Uniri autem possunt partes notitiæ divisibilis, adeoque repræsentare & totum panem, & omnes partes illius. Unde quando principia notitiarum non sunt unibilia, qualia sunt principia adæquata, nec notitiæ sunt unibiles: Si autem principia sint inadæquata, & unibilia, etiam notitiæ sunt unibiles; talemque unibilitatem habent partes notitiæ, noscentes partem objecti. Quod si no-

titia illa est divisibilis, non erit necesse principium ipsum esse indivisibile.

INSTAT Eadem proportionem, qua cognitio, quæ est propria operatio formæ, cognoscitivæ, elevatur à materia, etiam forma cognoscitiva, elevatur à materia. Et ita si cognitio non indigeat objecto sensibili, nec forma, indiget ullo objecto sensibili, & talis est Angelus. Si autem cognitio indiget objecto sensibili, à quo incipiat, sed potest deinde abstrahere à materia formas, qualis est intellectio nostra, tunc licet forma indigeat in primo sui esse materiâ, quam informet, potest tamen postea manere sine materia, & talis est anima rationalis. Ergo etiam si cognitio indigeat objecto sensibili, & extenso, sed ita, ut tota attingat totum, & tota attingat quamlibet partem objecti, etiam forma indiget subiecto extenso, sed ita, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte subiecti.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum. Sicut enim malè arguitur ex eo, quod species materiales diffusæ ab objecto, totæ sint in medio, & totæ in qualibet parte, etiam objectum esse totum in toto, & totum in qualibet sui parte; ita concessio, quod partes notitiæ divisibiles sint inter se penetratæ, malè arguitur, animam, quæ principiat illam notitiam, esse indivisibilem. Directè autem concessio Antecedenti, distinguitur consequens. Ergo etiam si cognitio indigeat objecto sensibili, sed ita ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte, sui una, retinendo pluralitatem partium, etiam anima erit tota in toto, & tota in qualibet parte hoc est indivisibilis, nego Consequentiam. Si notitia non retineat pluralitatem partium, erit anima indivisibilis, Concedo consequentiam. Deinde negatur absolute, unamquamque partem notitiæ, repræsentare totum objectum.

Punctum Difficultatis 3.

Explicantur variae Auctoritates.

PRIMA sit Aristotelis l. de Anim. t. 90. *Quid igitur continet animam si partibilis est Natura, &c.*

RESPONDETUR. Illo loco non plus vult Aristoteles, quam quod non alia sit anima, quàm intelligimus, quàm sentimus, dicebant enim id aliqui, ut videre est ibidem. Dicunt inquit ita: *quo quidam, partibilem ipsam, & alia quidem intelligere, alia autem concupiscere.* Negatque hoc Aristoteles, quod nec nos dicimus, sed censemus animam sensitivam, non esse distinctam ab anima vegetativa. Unde etiam verificatur Aristotelis textus, *egrediente inquit expirat & putrescit.*

scit. Rursus expressè inibi Aristoteles contradistinguit animam rationalem, & loquens de illa, dicit illam esse indivisibilem, neque enim pars animæ, potest informare partem corporis, *quam enim inquit partem, aut quomodo intellectum continebit, difficile est etiam fingere.* Loquens autem de animabus plantarum & insectorum, loquitur tanquam de divisibilibus, licet in partes homogeneas. Verba ejusdem sunt. *Videntur autem & planta vivere divise, & animalium insectorum quadam, tanquam eandem habentia animam, specie.* (en homogeneas) *est non numero* (en partes) *utraq; enim* (inquit) *parvum sensum habet.*

SE CUNDA autoritas est Augustini ex lib. de quant.

RESPONDETUR. Illo loco videtur S. Augustinus solum voluisse, quòd animæ etiam materiales, non habeant quantitates de se.

ADDO quid sit sentiendum de illa explanatione Mauri, quâ utitur ad *sum.* Quomodo animæ insectorum potentia plures partes contineant. Dicit enim, quòd pars à residuo abscissa, informatur substantiali aliâ formâ: nimirum à corpore celesti; quòd cum non potest conservare amplius materiam sub forma, sub qua erat, dat illi proximam formam, ad quam erat in potentia; Et sicuti digitus vivus, est in potentia proxima, ad formam digiti mortui: Sic cauda serpentis integri, est in potentia proxima, ad aliam animam imperfectiorem. Sed hæc explicatio partium in potentia non tenet; Tum quia quando dicitur, continuam componi ex partibus potentia distinctis, per auctores etiam oppositum sentientes, sensus est, quòd non sit continuum quid indivisibile, sed habeat plures partes potentia, quarum entitatem non sit necesse de novo produci. Ergo etiam, si dicatur animas insectorum habere plures partes potentia, non est dicendum, ipsam animam esse indivisibile quid, nec dicendum carere pluribus partibus. Tum quia si de novo anima illa educitur, in cauda serpentis abscissa, quomodo illa anima, est pars prioris animæ, si non est pars, quomodo dicitur illa anima, esse divisibilis, in partes potentia? & si anima illius serpentis, comparatè ad plures animas serpentum distinctorum, non est pars animæ; ita nec anima tunc producta, erit pars animæ ante productæ, secumque non continuæ. Tum quia. Quamvis mortuo homine succedat forma cadaveritatis, non dicitur, quòd anima rationalis, sit divisibilis, in partes formæ etiam dantis solum esse formari. Ergo nec anima insectorum dicenda erit divisibilis in partes potentia, ratio ne alius novæ succedentis animæ. Quæ omnia ulterius in hoc fundantur. Quia aliud est, quærere, an casu amissæ formæ, succedere possit alia similis forma, & hoc conceditur: & aliud

an succedens forma, & non continua, dicenda sit pars animæ prioris, & hoc negatur.

DIFFICULTAS III.

Qualesnam partes animarum divisibilium?

Heterogeneas partes tenuit Suarez lib. I. de Anim. c. 2. & 4. Hurtadus & alii. Negat Arriaga, Oviedo, recentior Suarez.

DICENDUM est. *Partes animarum divisibilium non esse heterogeneas.*

PROBATUR I. Partes animarum divisibilium vel uniuntur inter se, ita sicut partes ignis, aquæ, sanguinis, &c. vel non uniuntur ita, sed ita se habent, sicut ramus, folium, caro, os, &c. Si priori modo uniantur, Ergo non sunt specie distinctæ & heterogeneæ, quia specie distincta, ita uniri non possunt. Non enim specie distinctorum est continuatio, continuantur enim ea quorum termini sunt idem, quorum autem termini sunt idem, non possunt esse specie distincta, aliàs & eosdem, & non eosdem terminos haberent. Eosdem, ut supponitur ex definitione continuationis. Et non eosdem, quia specie distincta non habent eosdem terminos. Quod si partes animæ divisibiles non continuantur inter se. Contra erit. Tum quia non erit jam una anima, sed plures. Sicut pluralitatem habent, os, & caro. Tum quia si non continuantur inter se, quæro vel est ex illis partibus conflata anima totum quoddam per se, vel est totum per accidens conflatum. Si est ens per se, debet vel una pars respectu illius alius habere se ut actus & potentia, vel se habebunt ita, sicut continuum aliquod homogeneum; si enim tantum duo modi sunt unius entis per se. Nullo autem ex his modo, potest salvati ratio unius per se in anima, heterogeneas partes habente. Non primo modo. Quia partes animæ si una esset actus & potentia, hoc ipso altera pars, quia esset potentia, non esset forma. Secundo etiam modo non poterit salvari in anima ratio unius per se, quia si partes sunt heterogeneæ, hoc ipso non possunt facere unum per se, per continuationem.

RESPONDET Hurtadus; Ea quæ distinguatur specie incompleta, possunt uniri per se; ita autem distinguuntur partes animæ, cum ordinantur ad aliquid constituendum unum specie.

CONTRA. Quia, ut advertit Arriaga & Oviedo, si ea sunt specie incompleta distincta, quæ ordinantur ad aliquid tertium constituendum. Ergo cum caro & sanguis ordinantur ad constituendum unum vivens sensitivum, continuantur inter se. Deinde etiam specie incompleta distincta, si non habent se sicut actus & potentia, quomodo facient unum per se continuativè,

nuativè, cum in illa incomplezione habeant adhuc heterogeneitatem.

RESPONDENT II. Aliqui: heterogeneitatem convenientem partibus animæ, non esse specificam, sed solum numericam.

CONTRA. Quia si solum tenes diversitatem numericam, Ergo tenes talem, qualis est inter partes aquæ, quæ diversitas numerica, non est heterogeneitas. Deinde illæ partes & essent solo numero distinctæ, ut dicitur, & non essent. Quia distinctio numerica, staret cum diversitate operandi, nam in hac sententia oculus non potest audire, hæc autem diversitas, est diversitas specifica.

RESPONDEBIS III. Ex Arriaga. Non videri implicantiam cur non possint specie distincta continuari.

CONTRA. Esse implicantiam ostenditur, quia specie distinctorum extrema, non possunt esse unum, quod requiritur ad continuationem.

PROBATUR II. Quia nulla est necessitas, ponendi diversitatem specificam partium animæ: Sicut autem non debent multiplicari entia sine necessitate, ita nec diversificari specie. *Neque valet si dicas* homogeneitate magis dignificari partes, magis enim accedunt ad unitatem animæ spiritualis: Sicut autem non debent multiplicari entia sine necessitate, ita nec dignificari. Non inquam valet, quia in omni forma partiali heterogenea v. g. oculi debes etiam admittere partes homogeneas, neque enim inter se distinguuntur specie. Ergo admittis heterogeneitatem, quia distinctionem specificam à forma auris, & istam homogeneitatem. Ergo duplici titulo multiplicas entia, scilicet & numericè & specificè, adeoque & multiplicas & dignificas.

PROBATUR III. Ex Oviedo. Si partes animæ divisibilis essent heterogeneæ, id ideo esset, quia exercent operationes specie distinctas. Sed hoc non arguit heterogeneitatem partium in anima. Quod ipsum probatur. Quia diversitas hæc, benè referri posset, in diversis temperamentis ut & organa; temperamenta autem & organa diversa, non notant heterogeneitatem partium. Nam anima rationalis est indivisibilis, & tamen supponens, diversa organa.

OBJICITUR I. Si partes animæ divisibilis non sunt specie distinctæ, nec distinguuntur specie, anima Bovis & Leonis. Sequela probatur, ideo anima Bovis & Leonis debent esse distinctæ specie, quia exigunt diversa temperamenta: hoc autem exigere diversa temperamenta, non arguit distinctionem specificam. Nam partes animæ divisibilis, exigunt diversa temperamenta, & tamen non sunt per Te distinctæ specie.

RESPONDETUR. Retorquendo argu-

mentum, & inquirendo, cur exigentia diversarum formarum partialium, aut si illæ non admittuntur, cur exigentia tam diversorum accidentium, & temperamentorum, non fundat in anima rationali, diversitatem specificam. Directè autem, negari potest quòd pars animæ, quæ est in oculo bovis, exigit nonnisi temperamentum oculi. Et si exigeret temperamentum nonnisi oculi, distincta foret specie, ab alia parte animæ bovis. Quod autem non exigit diversum temperamentum pars animæ Bovis, quæ est in oculo. Ratio est. Quia hæc ipsa pars, posset esse in pede; tota tamen anima Bovis & partes illius collectivè spectatæ, exigunt tantam diversitatem temperamentorum, licet unaquæque distributivè accepta, non determinet sibi hoc nonnisi temperamentum: consequenter tota anima bovis, & partes illius collectivè sumptæ, ita diversum exigentes temperamentum, distinguuntur specie ab alia anima v. g. Leoni, & ejus partibus collectivè sumptis, non exigentibus tale temperamentum, ac exigita anima bovis.

INSTAT Hurtadus. Hæc exigentia temperamenti, qualem tribuimus partibus animæ v. g. Bovis, non posset esse nisi exigentia appetitus elicit. Nam appetitus innatus, est nonnisi ad bonum proprium: & tamen non est bonum proprium, animæ bovis, existentis in pede, non est inquam bonum proprium, temperamentum, v. g. oculi. Quis autem dicat partes animæ bovis, exigere temperamentum tale per actum elicitum.

RESPONDETUR. Bonum proprium non esse bonum huic soli adæquatè dandum, sed bonum dandum appetenti adæquatè vel inadæquatè sumpto. Temperamentum ergo oculi, non est bonum animæ bovis, prout in pede existentis, adeoque inadæquatè sumptæ, licet sit bonum illius adæquatè, & cum aliis partibus sumptæ. Unde & bonum temperamenti totius, est bonum proprium, adeoque appetibile appetitu innato, licet non sit adæquatè dandum, nonnisi unius partis exigentiæ.

OBJICITUR II. Si partes animæ bovis non sunt heterogeneæ, sequitur, abscisso pede equi animam illius non esse imperfectiorem, animam hinnuli habere enim tot partes, quot anima hinnuli.

RESPONDETUR. Si perfectio attendatur penes pluralitatem partium, illa anima erit extensivè perfectior, cujus partes plures eductæ, numerari possint. Unaquæque autem pars, potest hoc facere, quod facit abscissa, licet ex accidenti, propter defectum organi, vel propter defectum tot partium homogenearum animæ, quot sunt necessariæ ad informandum tantum corpus, præstare id non possit.

OBJICITUR III. Pars animæ Bovis quæ est

est in oculo, vel poterat esse in aures, vel non poterat. Si non poterat, Ergo est heterogenea. Si poterat. Ergo indigebat determinativo ut esset in oculo; quod autem est hoc determinativum; & si recurras ad Deum, non agis Philosophum.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum. Saltem pars animæ posita in dextro oculo, poterat esse in sinistro. Per quid ergo determinatur, ut sit in dextro? Rursus accipiamus partem animæ, quæ est in dextro oculo, hæc, utpote materialis, habebit plures partes sintque v. gr. A. B. C. quærere restabit cur pars A, non informet materiam, quam informat pars C. Directè autem responderi potest, determinationem hanc haberi ab ipsa educatione huius partis formæ, ex hac parte materiæ.

INSTABIS. Si omnes partes animæ sunt ejusdem rationis, non est ratio, ut si aliquo casu introducantur dispositiones carnis, non possint introduci dispositiones oculi. Nisi dicas, eo casu non haberi illis partem animæ debitam oculo.

RESPONDETUR. In homine introducuntur dispositiones debitæ carni, & non introducuntur dispositiones debitæ oculo, si forte eritatur; & tamen hoc non arguit distinctionem partium in anima. Ergo nec in presenti arguet. Directè ad objectionem dicitur, causare dispositiones oculi v. gr. non pertinere immediatè ad animam, licet exigere illas pertineat ad animam, & jam præhabitas, posita aggeneratione informare. Et certè pro priori tempore, antequam infundatur anima, jam invenit omnes dispositiones, ad quarum exigentiam produciuntur vel educitur. Hinc quod non reproducantur dispositiones oculi, rejici debet, quia jam tunc non laborat, vel virtus formatrix fœtus, vel alia similia comprincipia.

QUÆSTIO III.

Quomodo animæ Rationales inter se distinguuntur?

PRÆMITTO I. *Perfectionem animæ dupliciter spectari posse. Primum in illa ipsa secundum se spectata; & hoc stat definitione animæ rationalis. Secundò spectari potest, comparando illam ad alias extra eandem speciem, vel intra eandem.*

PRÆMITTO II. *Accipiendo animam comparatè ad alias animas, de illa duo inquiri possunt. Primum animæ rationales intra eandem speciem, possint se ita excedere, ut una possit aliam perfectione superare. Secundò an possint dari duæ animæ rationales, specie distinctæ,*

& tamen utraque alteri æqualis in perfectione.

PRÆMITTO III. *Perplexam reddi hanc questionem, partim questionibus de voce, partim aliquibus obscuris, & pro neutra parte satis explicatis principiis. Quale est principium, quidnam sit specie differre? Si enim dicas specie differre esse notabiliter differre, quærendum restat, quid est hoc notabiliter differre. Si respondens per oppositum, hoc est non differre parum, quærendum restat, quid sit hoc non differre parum. Si recurras ad inductionem, ostendendo quid sit differre notabiliter, vel parum, quomodo resolves, Hoc de quo dubitatur: An differat specie; & ex quonam principio dices, id, de quo dubitatur, spectare ad notabiliter differentia, vel ad differentia parum. Si ultimarè recurras, pensandum id esse ex judicio prudentum; quid agendum erit, si prudentes sint, pro utraque parte; & de eodem judicio prudentum, quærendum restabit, quod illius judicii prudentum, fundamentum habeatur. Nam judicium prudentum, non confert speciem, sed supponit; cumque judicium prudentum sit quid morale, hic autem quæritur de aliquo Physico, sit ut hæc explicatio, aliquid aliud insuper, adferre debeat.*

Intra eandem speciem animæ rationalis admiserunt perfectiora individua Suarez. & Arriaga. Negarunt Fonseca, Hurtadus; & alii.

DIFFICULTAS I.

Resolutio Questionis.

UT abstineamus quàm fieri potest, à questionibus de voce.

ASSERO I. *Si nomine distinctionis specificæ, non intelligas quidquam aliud, nisi reperibilitatem unius prædicati & perfectionis, quæ ipsa æquivalens, non reperitur in alio ente, in isto sensu intra eandem speciem, non possunt dari individua, unum perfectius alio.*

Ut innotescant termini, pono præ oculis hominem & leonem, specie distinctos. Reperitur in homine ratio vitæ, reperitur & in Leone; reperitur in homine ratio sensitivi, reperitur & in leone. Sed reperitur in homine rationalitas, cui prædicatum æquivalens, non habet leo; reperitur in leone rugibilitas cui etiam æquivalens prædicatum, non habet homo. Hinc quia prædicatum ab uno habitum, non habetur æquivalenter ab alio, inferimus illa duo specie differre. *Hac notificatione terminorum præmissa.*

† (M) 3 RATIO

RATIO asserti est. Quia si intra eandem speciem, posset dari individuum unum perfectius alio, & esset intra eandem speciem, & non esset. Esset ut supponitur, esset enim individuum. Et non esset intra eandem speciem, quia esset distinctum specie. Quod ipsum probatur. Quia unum haberet prædicatum, quod prædicatum, aliud non haberet, nec quidquam, æquivalens illi.

ASSERO II. *Si distingui specie, sit aliquid aliud, tunc intra eandem speciem poterit dari unum individuum perfectius alio.*

RATIO. Quia hujus nulla ostendi potest implicantia, suadentque id infra ponenda.

ASSERO III. *Admodum loquendi attendendo, probabilius est, ista differre specie, quorum unum habet aliquod prædicatum & perfectionem, cui æquivalentem non habet aliud.*

RATIO. Tum quia ea, quæ manifestè differunt specie, sunt talia, quorum unum habet quoddam prædicatum, & aliud hoc ipsum, aut illi æquivalens non habet: & ita Petrus & Paulus non differant specie, quia habent æquivalentiam prædicatorum; nam Perreitati quam non habet Paulus, æquivalerit Pauleitas. Tum quia, si daretur intellectus qui tantum apprehendere posset, & non judicare; item, qui esset ineliminabilis ad videndum Deum, specie differrent tales intellectus à nostro; quæ diversitas, nihil verat cur colligi non possit ex eo, quod scilicet unus intellectus, haberet prædicatum aliquod, quod ipsum vel illi æquivalens, non haberet alius.

Ex quibus conficitur quasi argumentum ab inductione. Ea scilicet specie distingui, quorum unum aliquod habet prædicatum, quod ipsum aut illi æquivalens, non habet aliud. Tum quia, nisi dicatur hoc esse specie distingui, non poterit ostendi, quid sit distinctio specificata.

Quia vel hæcenus dicta, hoc etiam respiciunt, an non possint dari specie distincta, quæ tamen sint æqualis perfectionis, hinc de hoc etiam puncto discurrendum erit. Ideo sit

DIFFICULTAS II.

Possuntne dari specie distincta, & tamen æqualis perfectionis?

Pensandæ sunt imprimis rationes utriusque partis.

Rationes pro æqualitate specierum.

PRIMA RATIO est Lugonis. Relationes Divinæ ut distinctæ virtualiter ab essentia, sunt dissimiles inter se, & quidem notabiliter, sunt tamen omnino æquales. Quæ æqualis illis prout præcisus ab essentia, non convenit ob essentia, sic enim acceptæ cum non includunt. Hinc æqualitas illa erit ab illismet ipsis. Ergo possunt esse aliqua notabiliter distincta, & tamen specialia in perfectione.

RESPONDETUR. In utraque suppositione, tam quæ dicit, quod perfectionem in se importent Relationes Divinæ, quam quæ, negat illis perfectionem. Et quidem in suppositione non tribuente Personalitatibus propriam perfectionem, dici posset, quod eo casu illæ Relationes, erunt quidem specie distinctæ, sed neque æquales propriè, nec inæquales, prout concipiuntur condistinctæ ab essentia. Quia æqualitas vel inæqualitas, est secundum mensuram perfectionis, & supponit tanquam genus perfectionem in subiecto; quam, quia relationes non dicunt; quamvis etiam non dicant imperfectionem, sit, ut nec æquales, nec inæquales sint. Jam autem species creatæ, in se ipsis dicunt perfectionem, adeoque in seipsis dicunt genus contrahibile ad æqualitatem, vel inæqualitatem. Cur ergo non erunt inæquales, si sunt distinctæ specie, fundamentumque habeant, in quo fundetur inæqualitas, hoc est perfectionem; quæ est divisibilis in æqualem & inæqualem; quo fundamento carent Relationes Divinæ, si nullam dicunt in se perfectionem.

In sententia autem ponente, quod Relationes Divinæ in seipsis dicunt perfectionem, hæc disparitas dari potest. Paternitas cum Filiatione æqualis est perfectionis, Filiatio item cum Paternitate, quia cum Paternitas, sit quid relativum, debet specificari ab extrinseco, quod est ipse filius. Tota ergo dignitas illius & specificatio, est ab extrinseco acceptibilis, nempe à filio. Cum ergo filius respectu sui, non sit magis & minus dignus, etiam specificatum à Filio, & dignificatum, non erit dignius dignificante & specificante adeoque æqualis erunt perfectionis paternitas & Filiatio. Quam rationem applica ad probandum, quod etiam Filiatio non sit dignior paternitate. Quia verò dignificatio unius speciei, non sumitur in dignificatione alius speciei, nec ab illa, tanquam à specificativo extrinseco dignificatur, sed à sua entitate simpliciter; hinc fit ut habeamus fundamentum, dicendi, Personalitates Divinas, quatumvis notabiliter distinctas, non posse esse nisi æquales in perfectione; cujus Tu fundamentum non ostendis in istis quæ creata sunt, & notabiliter differunt.

SECUN-

SECUNDA RATIO. Duo individua possunt esse æqualia. Ergo etiam & species.

RESPONDETUR negando Consequentiam. Eò, quòd si individua non essent æquè perfecta, hoc ipso non essent individua, habeturque fundamentum adstruendæ æqualitatis in individuís. Tu autem non ostendis positivum fundamentum simile, ad ponendam æqualitatem specie distinctorum.

TERTIA RATIO ex Ariaga est. Ex ipsis terminis videtur manifestum, aliud esse diversitatem, aliud inæqualitatem. Hinc in moralibus quamvis videamus res diversas, æquè tamen æstimare solemus unam ac alteram. In Physicis item æqualem voluptatem adferre possunt bona, quamvis specie diversa. Intellectui item, arridere æquè solent, duo conceptus ingeniosi, quamvis specie diversi. Ergo diversitas specifica, non arguit necessariò inæqualitatem.

RESPONDETUR. Quia in ordine morali, nec item in voluptate, attenditur ad speciem, sed assumuntur illa omnia, tanquam solo numero diversa, sit ut æqualiter moveant. Quòd verò in ordine morali, non attendatur ad rationem specificam, quã talem, hoc inde est. Quia qui indiget tali summa, indigentia circa summam, non circa materiam monetæ versante, illi æquale erit, habere nummum aureum, vel sex florenos; ita ut ad illius indigentiam materialiter se habeat illa diversitas. Idemque proportionaliter ad alias partes instantiæ dici debet. Quia autem hic loquimur non de speciebus materialiter, nec Tu, aliunde posse esse species æquales in perfectione positivo fundamento ostendis, hinc non probas, ex diversitate specifica, non inferri inæqualitatem. Et quamvis termini hi: *diversitas & æqualitas* non sint iidem; inde tamen non sequitur, hoc ipso posse esse species æquales, quia illarum inæqualitas, non adstruitur ex phrasi, sed inquiritur, an pro æqualitate stet positiva ratio.

QUARTA RATIO ejusdem est. Videmus ipsis oculis colorem rubrum, & viridem, esse notabiliter diversos, eos autem esse inæquales non videmus. Rursus, experientia nulla ostendit talem excessum, nec ratio est naturalis ulla quæ id persuadeat. Unde fit, ut nobis sit dubium, quis eorum sit perfectior. Cur ergo debemus dicere, necessariò esse illos inæquales.

RESPONDETUR. Titulum perfectionis non esse quid sensibile, adeoque nec sensibus, subiectum. Diversitas autem est subiecta sensibus, hinc parum refert, quod advertat sensus ad diversitatem, non ad perfectionem. Deinde non videmus illorum accidentium speciem æqualem, nec ulla ratio positiva id evincit; cur ergo illos dicemus esse æquales? Imò, cum videamus multas species inæquales, v. g. homi-

nem & leonem, leonem & murem; de nulla autem scimus, quod sit æqualis alteri: hinc est fundamentum dicendi, quod nulla positiva ratio, probet æqualitatem specierum in perfectione.

QUINTA RATIO est recentioris Suarez. Unio hypostatica, & cognitio terminata ad Patrem sunt notabiliter differentes, & tamen sunt æqualis perfectionis. Hinc autem sequitur quod possint esse aliqua specie distincta, non tamen inæqualia.

RESPONDETUR. Negando hæc duo esse æqualis perfectionis, indubiè enim unio Hypostatica quæ in sententia Modalistarum est substantialis est perfectior præ cognitione quæ est Accidens. Vide in simili dicta, ad Rationem primam.

Rationes contra æqualitatem specierum.

RATIO I. est, quam adfert Suarez. Si darentur duæ species æquales in perfectione, æquè distarent à non ente; æquè autem distare non possunt à non ente, aliàs non essent diversæ.

RESPONDERI potest negando minorem, cum sua probatione; & sicut linea aurea & plumbea, possunt æquè distare à centro, sic & duæ species, à non ente.

RATIO II. est, quam adfert Vasquez. Quæ commensurari non possunt, æqualia non sunt: species commensurari non possunt. Quia quæ commensurari possunt, sunt ejusdem rationis, species autem diversæ, necessariò sunt diversæ rationis.

RESPONDETUR. Commensurari, non est idem, quod habere prædicata, quæ habet aliud: Sed sufficit, ut in qua ratione diversa sunt, in illa habeant æquivalentiam; certè enim commensurari possunt libra auri & plumbi, quamvis sint diversæ rationis. Et quamvis duæ quantitates commensurari non possint in magnitudine, si sint inæquales in magnitudine, bene tamen commensurari possunt in aliis rationibus: ita & species, quamvis non possint commensurari in diversitate, poterunt commensurari in æqualitate essentiæ; sicut linea brevior & longior, utraque tamen aurea, non commensurantur in magnitudine, commensurantur in essentia auri.

RATIO III. est, quam sibi objicit Oviedo. Sint Leo & Equus æquales in perfectione, tunc magis differet leo ab homine, quàm ab equo; quia respectu hominis esset imperfectior, æquè autem perfectus cum equo, quod dici non potest, quia aliàs, non omnes differentię genus contrahentes, æquè essent oppositæ, neque

neque quælibet omnimodam haberet oppositionem cum alia, quod est absurdum, & contra omnem Philosophiam.

RESPONDET pluribus Oviedo à num. 43.

DICI breviter potest. Si minus differre leonem ab equo, quàm ab homine, idem sit, quod non habere prædicatum, & rationem univocam conveniendi in ratione differentiali specifica, æquè differret leo ab homine, quàm ab equo. Quia etiam cum equo, in ratione differentiali, nullam convenientiam habet. Si minus differre sit idem, ac commensurari in aliquo, quamvis illud in quo commensurantur sit æquivoca ratio, in isto sensu magis conveniunt leo & equus, quàm leo & homo. Sed hoc asserere, non est quidquam contra Dialecticam, quæ cum docet differentias æquè esse oppositas, non aliud dicit, quàm non haberi in illis rationem univocam conveniendi in eo in quo sunt oppositæ.

Pensatis pro æqualitate specierum, & contra æqualitatem rationibus.

DICENDUM. *Haberi sufficiens fundamentum negativum, quod dari possint due species æquales.*

PROBATUR I. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR II. Quia si diversæ species hoc ipso essent inæquales, vel hoc sequeretur ex hac universalis, quod omne diversum, sit inæquale, & hoc non potest dici; videmus enim auream & plumbeam mensuram, esse diversas, & tamen posse esse æquales. Si autem id oritur ex particulari aliqua conditione in speciebus, hæc ipsa ostendenda est. Quando autem Aristoteles dixit species habere se sicut numeros, non dixit id attendendo ad inæqualitatem numerorum, sed ad indivisibilitatem. Quia scilicet, sicut numero nihil potest addi vel subtrahi, salva ratione ejusdem numeri; ita nec speciebus, salva ratione specifica, quidquam addi vel subtrahi potest.

Sed hic explicandum restat. Quia si distincta specie possunt esse æqualia in perfectione, & erunt distincta specie, & non erunt. Non erunt quidem ut supponitur. Erunt autem, quia unum continet æquivalenter perfectionem alius, utpote æqualis perfectionis. Sed id non convincit; æqualitas enim perfectionis duplex considerari potest; quædam æqualitas propter inclusionem æquivalentem prædicatorum alijs; & hæc destruet distinctionem specificam. Secunda æqualitas est, non quidem propter æquivalentem inclusionem alijs, sed propter simplicem distinctorum prædicatorum inclusionem, talem tamen, quorum perfectio non sit minus æstimabilis, quàm alia, & hæc æqualitas, stat cum distinctione specifica.

PROBATUR III. Instantia, qua utitur Aristoteles. Duæ cognitiones æquè intensæ, quarum una attingat Petrum, alia Paulum, sunt distinctæ specie, & tamen æqualis perfectionis. Ergo & de speciebus alijs idem dicendum.

RESPONDEBIS. Esse distinctas specie, si una proficiscatur ab Angelo, altera ab homine, secus si utraque ab homine, idque ex eo, quia sicut Petrus & Paulus non distinguuntur specie, ita nec notitiæ de illis, si proficiscantur ab eodem principio.

CONTRA. Quia quæ dicunt ordinem essentiali alium illa distincta sunt specie, diversitatem enim essentialis, infert diversitas ordinis essentialis. Jam autem notitia Pauli, ita dicit ordinem essentiali ad Paulum, ut non possit dicere ordinem essentiali ad Petrum. Cæterum qui diceret ordines illos essentialis, esse diversos solo numero, sicut sunt diversi solo numero Petrus & Paulus, ægrè convinci posset.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

SOLVENDÆ sunt objectiones, contra explicationem ad laram: Quid sit differre specie.

DICES I. Canis albus, & canis niger, sunt individua intra eandem speciem, & nihilominus nigredo unius, non est æquivalens numero, albedini alijs. Ergo si aliquid non habet æquivalentiam prædicati, non sequitur illa esse specie distincta. Ergo intra eandem speciem possunt dari individua, quorum unum, non habeat perfectionem alijs, æquivalentem numero.

RESPONDETUR. Illos canes in ratione nigri & albi differre specie accidentali; hinc non debent sibi in colore æquivalentes esse.

DICES II. ex Ariaga. Petrus & Paulus sunt ejusdem speciei, & tamen habent aliquam dissimilitudinem plusquam numericam, ergo non quæcunque dissimilitudo dicenda est specifica. Antecedens probatur. Unio Petri respicit Petrum, & unio Pauli essentialiter respicit Paulum, magisque conveniunt inter se uniones respicientes una Paulum, alia Petrum. Ergo possunt esse dico individua ejusdem speciei inter se, plusquam numero, minus quàm specie differentia.

RESPONDET Hurtados. Recentior Suarez & alii. Quod istæ uniones distinguantur specie

specie inter se, nempe unio Petri & Pauli, propter alium & alium ordinem essentialium: neque tamen facient specie differre Petrum & Paulum, quia differentia attenditur penes conditionem ipsius formæ & animæ, quæ utrobique supponitur humana. Et sicut ex diversitate specifica formarum partialium, non arguitur distinctio sine addito specifica, corporis, à seipso, sic nec in præsentia arguetur. Idque ex eo ulterius, quia parum refert composito de specie entitatis quam habeat unio. Hinc necdum distinguatur homo, etiamsi unus spiritualem, alius unionem materiale habeat. Sicut nec in Patria distinguemur à nobis, propter unionem indefectibilem, cum præsentem unionem defectibilem habeamus. Compositum enim certe ad hoc purè & merè attendit in unione, ut uniat, quidquid sit de conditione entitatis ejusdem unionis.

Est alius modus respondendi eidem difficultati. Certum est imprimis quod sicut dantur plures uniones, quæ respiciunt Petrum, sic dari plures quæ respiciunt Paulum, quæ uniones Petri magis inter se conveniunt, quam si compararentur ad uniones Pauli. Deinde sicut Petrus quod non possit esse Paulus, & è converso, non extrahuntur per hoc à ratione individuorum; Sic nec uniones, quia hæc essentialiter est Pauli, illa essentialiter Petri extrahuntur à ratione individualiter differentium. Quod ut explicetur. Uniones illæ dupliciter spectari possunt. Primo secundum suam entitatem, & sic non minus individualiter differt unio Petri A, comparata ad unionem Petri ejusdem B, quam unio Petri A, comparata ad unionem Pauli C. Secundò possunt spectari illæ uniones secundum terminos, & sic unio B Petri, ab unione A Petri, non differet ratione termini, quia idem est ubique terminus, hoc tamen non obstante differet ab unione Pauli numero, quia & ipse Paulus & Petrus differunt numero. Ex qua ratione, in forma negatur Antecedens. Probationis ejus secunda pars distinguitur, magis conveniunt inter se uniones Petri, quam cum unionibus Pauli, si spectentur ratione terminorum, concedo Antecedens. Nam uniones Petri, respectu termini, non habent numericam distinctionem. eundem enim Petrum uniunt, qui à seipso non distinguitur individualiter. Magis conveniunt inter se uniones Petri, quam conveniant cum unionibus Pauli, ratione entitatis nego Antecedens. Postea consequentiam. Et sicut quamvis identitas Petri secum, dicat connexionem cum Petro, cum identitas Pauli dicat connexionem cum Paulo, neque tamen hoc infert illarum identitatum, sicut nec individuorum distinctionem specificam; ita quamvis dicat unio Petri, nexum tantum cum Petro, unio autem Pauli dicat tantum connexionem cum Paulo,

non sequetur illas uniones esse distinctas specie. Et hæc dicta sunt pro probabilitate secundæ responsionis, sed prior potius retinenda. Similiter etiam respondendum est dum urget Ariaga, esse magis inter se similes cognitiones de Petro, quam cognitiones de Paulo.

DICES III. cum eodem. Cognitionis de Petro solo, non differt specie à cognitione de Paulo & Joanne. Et tamen cognitio de Paulo & Joanne perfectior est, ut pote plurium repræsentativa. Ergo duo individua ejusdem speciei, possunt esse inæqualia.

RESPONDETUR Communiter, duo individua, extensive & quoad specificationem extrinsecam, posse esse perfectiora, cum unum habiturum sit unam specificationem, & aliud duplicem. Hic autem quæritur de specificatione intrinseca. Sed posset etiam defendi, cognitionem, quæ non nisi unum individuum repræsentat, comparatam ad cognitionem quæ repræsentat duo individua, specie distingui. Tum quia, si daretur materia, non nisi ab una forma informabilis, esset specie distincta à materia plurium formarum capaci. Ergo & illæ notitiæ duæ, distinguuntur inter se; cum non minus notitia cum objecto, quam materia cum forma, necatur.

Tum quia distinguatur specie intellectus non nisi pauciorum objectorum noscitivus, à præsentia intellectu, idemque videre est in aliis potentis, si essent restrictiores quoad objecta à se percipienda. Ergo & illæ duæ notitiæ distinguuntur inter se. Tum quia unum, & nexum cum uno, non habet æquivalentiam ad duo, & ad nexum essentialem cum duobus.

INSTAT I. Ariaga. Ex hac responsione sequi, quod homo minor alio vel puncto materiæ, jam ab illo majori specie distinguatur; vel ipse homo à se, dum acquirit, vel deperdit minimam partem materiæ. Nam unio est indivisibilis, quæ, si mutetur materia, mutari debet, aliaque specie distincta venire, plurium scilicet vel pauciorum partium materiæ informativa.

RESPONDETUR. Quod ex distinctione unionis, non sit desumenda diversitas, dictum supra. Constat etiam ex physicis, quod unio illa sit materialis, aut potius requirit modale connotatum materiale. Si autem illa entitas est materialis, casu quo plus aggeneretur materiæ, prior illa non mutatur, nec perit, sed additur alia pars materialis entitatis, requisita ad unionem. Unde ulterius negatur illam entitatem esse indivisibilem, in uno enim non est æquivalentia ad duo, duoque non æquivalent, sed superant unum. Unde etiam negatur illam entitatem esse indivisibilem.

INSTAT

INSTAT II. Cognitio essentialiter ordinata ad cognitionem objecti unius, & cognitio essentialiter ordinata ad cognitionem duorum objectorum, sunt cognitiones specie distinctæ. Ergo etiam unio essentialiter ordinata ad Petrum, & unio essentialiter ordinata ad Paulum erunt specie distinctæ.

RESPONDETUR. Concedet Suarez recentior totum. Qui vellent rueri secundam responsionem, idcirco ad objectionem secundam, disparitatem daret, quia in cognitione essentialiter ordinata ad unum objectum, nihil respondet æquivalens numero, cognitioni essentialiter ordinata ad duo objecta, quæ inibi colliguntur, in uno enim non est æquivalentia ad duo, duoque non æquivalent sed superant unum, vult etiam cognitioni A necessariò ordinata ad duo objecta, non est quidquam æquivalens nisi cognitio B ordinata ad duo numero objecta, & sicut unio, essentialiter per impossibile vel possibile ordinata, ad duas formas uniendas, esset distincta specie ab unione, ordinata ad unam non nisi formam uniendam, totam specificè differendi rationem, accipiendo, non penes terminos, qui sunt numero distincti, sed penes nexum cum illis talem, cui æquivalens nexus, non est sententia non nisi ad unum objectum. Quia autem tendentia unionis ad Petrum, habet æquivalens quid tendentia unionis ad Paulum, ideo hæ uniones non distinguuntur specie.

DICES IV. Differentia individualis est positivum prædicatum, perinde superaddita naturæ, ac differentia specifica. Ergo sicut differentia specifica addit notabilem diversitatem, sic individualis differentia, asseret numero differentibus inæqualitatem minus notabilem.

RESPONDETUR. Quicquid sit de Antecedenti, concedo consequentiam, quæ non probatur, posse aliquid plus quàm numero, minus quàm specie differre.

DICES V. Modus dignoscendi diversa specie, est, si illa notabiliter differant. Ergo si differant minus quàm specie, plus quàm numero, dicenda erunt non differre specie.

RESPONDETUR. Quod nulla sit talis differentia; imò nec esse possit, quia modus ille differendi, & non esset modus differendi secundum speciem, ut supponitur, & esset modus differendi secundum speciem, quia inveniretur prædicatum in uno, cui æquivalens in alio non reperiretur.



QVÆSTIO IV.

De Potentiis Animæ rationalis.

Quæ hîc dicuntur de potentiis comparatis ad animam rationalem, eadem proportionaliter applicanda erant, ad alias potentias, comparatas ad suas substantias.

DIFFICULTAS I.

Quomodo distinguantur potentiæ ab anima? & quomodo principient actiones?

Distingui illas realiter docet Suarez uterque cum Sancto Thoma. Negat Scotus, nominales, & cum eis Ariaga & Oviedo.

DICENDUM est. *Potentias animæ non esse distinctas realiter ab anima.*

PROBATUR I. Quia nulla est necessitas & nullum fundamentum distinctionis realis, ut videre erit ex solutione objectionum.

PROBATUR II. Si potentia v. g. sensitiva, est quid realiter superadditum animæ, anima ipsa non esset formaliter sensitiva, sed non nisi radicaliter. Sicut materia non est formaliter quanta, sed non nisi radicaliter, quia quantitas ab illa distinguitur realiter, & tamen Anima, debet esse formaliter sensitiva. Quod ipsum sic aliter proponitur & probatur. Homo debet esse vivens sensitivum formaliter & substantialiter. Sed si potentia sensitiva, esset distincta realiter ab anima, non esset homo formaliter & substantialiter sensitivus. Quia esset formaliter sensitivus, non nisi per accidens superadditum. Major autem probatur. Hoc quod est homo, debet esse formaliter homo. Ergo homo, debet esse vivens sensitivum, formaliter & substantialiter; cum enim homo, stet animali & rationali, formaliter sumptus homo, debet stare animali formaliter, & rationali formaliter, adeoque vivente formaliter, & sensitivo formaliter, quæ duo definiunt formaliter animal.

PROBATUR III. Principio, quod assumit Oviedo & Ariaga, quod est ex indispensabili identitate volitivi cum cognoscitivo, quod principium infra ponetur Puncto Diff. i. sub finem.

OBJICITUR I. Auctoritas Patrum & Aristotelis. Imprimis Dionysii quem refert Sanctus Augustinus lib. de Trin. c. 6. *Anima humana deficit à simplicitate Divina, propter multitudinem operationum & virtutum.* Et

Et ibidem l. 15. c. 7. *Potentiam hominis non esse hominem, sed aliquid hominis.* Consentit Augustino Anselmus, idque ex mente Aristotelis 2. de Anim. t. 29. & 1. Eth. c. 6. *Quemadmodum in corpore est visus, sic in anima mens, & aliud in alio.*

RESPONDETUR. Ad auctoritatem Augustini (qui nobiscum sentit l. 9. de Trin. c. 4. & l. 10. c. 11.) quod fortè per virtutes, non intelligantur potentia animæ, sed principia superaddita virtutosa. Nec obest quod potentia dicatur non esse homo, fortè enim negat non identitatem realem, sed ex modo concipiendi diversitatem ponit. Sicut & risibilitas ex modo concipiendi non est homo, sed hominis. Certè Bernardus Serm. 11. in Cant. expressius pro nobis loquitur. *In anima, inquit, tria intueor Rationem, Memoriam & voluntatem, & hæc tria, eandem esse animam.* Ad auctoritatem Aristotelis quod attinet, illa non convincit. Nam ibidem de Anima t. 19. & 20. appellat potentias animæ partes, & tamen ex altera parte indivisibilem agnovit animam humanam. Ergo debuit sentire, partes illas esse Metaphysicas, adeoque indistinctas realiter. Unde etiam comparat mentem visui, non in genere distinctionis & aliteratis, sed quia sicut visus est lumen illustrans corpus, ita mens, est lumen hominis intellectuale.

OBJICITUR II. Recentior Suarez. Elementa & mixta non animata, operantur per potentias realiter distinctas. Ergo & anima.

RESPONDETUR negando consequentiam. Disparitas est quia cum elementa & mixta, agere debeant in bonum universi, etiam ubi substantialiter non sunt, debuit illis providere natura principia, connectendi sese cum passo, ne datur actio in distans. Hinc etiam experientia ipsa docet, principia hæc, à substantia mixtorum distincta esse. Quia verò non agunt potentia animæ rationalis, ubi non agat ipsa anima; sit ut natura non debuerit providere animæ potentias distinctas. Deinde non tenet argumentatio, à modo agendi unius potentia, ad modum agentialis; nisi commune aliquod fundamentum ostendatur, aliàs cum agat calor separatus ab igne, intelligeret etiam intellectus, annihilatà animà, perque transmissam à se potentiam intellectivam, posset intelligere anima, sicut per calorem transmissum, calefacit ignis, cumque non videamus ullam distinctionem inter calorem productum ab igne & emanatum, sicut calor productus est distinctus realiter ab igne, ita emanatum interimus esse distinctum. Nullum autem simile fundamentum habemus distinctionis potentiarum animæ & sicut potentias ani-

mæ ita & potentiam productivam caloris ab igne identificamus animæ, unde calor & calefactio habet proportionem cum actu producto à potentia utrobique supponendo distinctionem entitativam potentia autem productam caloris proportionatum cum potentia v. g. intellectiva utrobique supponendo identificationem.

INSTAT idem. Si potentia animæ, non distinguntur realiter ab anima, nulla est ratio, cur visio oculi in homine sit potius corporea quàm intellectiva, nam in hac opinione oculis est spiritualis, nimirum ipsa anima.

RESPONDETUR. Nego aliquem oculum esse spirituale, licet sit potentia visiva spiritualis. Quia nomine oculi venit organum, quod non est spirituale. Quare autem visio non sit spiritualis, ratio est, quia quotiescunque duobus principis, materiali & spirituali indiget operatio, toties, utpote debiliorem partem, consequitur effectus materialis. Et ita motus cœlorum, quem principiat effectivè Angelus, subjectivè cœli, est materialis; generatio item alicujus corporis, quam faciunt Spiritus, applicando activa passivis, esset materialis, & sic de reliquis. Cum ergo ad visionem requiratur anima, & organum tanquam instrumentum, fit, ut sequatur visio materialis. Quia verò ad intellectionem, non concurrat ullum principium materiale, fit, ut intellectio, sit spiritualis. Rursus si sit agens spirituale, essentialiter ordinatum ad aliquid materiale, debet habere vim etiam materialiter agendi: Sicut enim esse illius, est ad informandam materiam, ita, est, ad operandum materialiter. Si autem operatur materialiter, etiam effectus sequi debet materialis, adeoque & visio debet esse materialis; si enim hoc non esset materialis, non esset quidquam ostensibile, quidnam vitale, materiali actione producat anima; quod absurdum non sequeretur, si dicatur anima intelligere actione spirituali, adhuc enim alia poterit agere, actione materiali.

OBJICITUR III. Argumentum Sancti Thomæ. Potentia specificantur per actus. Substantia verò non potest specificari per actus accidentales, quod enim specificatur ab alio, ad illud ultimo ordinatur; cum verò accidens ultimo ordinetur ad substantiam, hoc ipso substantia, non poterit ultimo ordinari ad accidens.

RESPONDETUR. Retorquendo imprimis argumentum, quomodo scilicet non specificentur animæ ab accidentibus, cum emanant suas potentias, quæ sunt accidentis. Directè autem ad obje-

ad objectionem dicitur, quod potentia specificetur extrinsecè per actus, non autem intrinsecè: quod autem specificatur ab alio, tanquam ab aliquo extrinsecò, potest esse accidentale, licet illud ipsum specificatur non sit accidentale. Quod autem recurritur ad illud, quod emanatio potentiarum accidentalium non tribuatur animæ, sed externo generanti, id non convincit; quia quamvis hæc emanatio in anima v. g. rationali tribuatur generanti, tanquam disponenti materiam, quæ ultimò disposita, exigit creationem animæ: Nihilominus ipsa productio formalis potentiarum illarum, fieri debet non nisi ab ipsa anima: nam agens materiale, quale est generans, producere non potest spirituales potentias.

OBJICIT IV. quidam. Proprietates substantiarum distinguuntur realiter ab ipsis. Potentia autem sunt animæ proprietates.

RESPONDETUR. Negando, potentias esse proprietates physicas animæ, licet sint proprietates ex modo concipiendi. Quamvis autem soli Deo competat habere omnes potentias agendi, sibi identificatas, non sequitur quod animæ rationali aliquæ identificari non possint; licet aliæ non identifcentur v. g. species, habitus, organa, & similia.

INSTAT idem. Potest nemine cogitante, separari potentia visiva ab anima, quia Christus cæcis reddidit ipsam potentiam visivam, quod nisi asseratur, diminuetur gloria miraculorum Christi. Er si dicas solum usum istius potentia defuisse cæcis, dicam, quod solus usus frigiditatis aquæ, ad positionem caloris amittatur.

RESPONDETUR negando Antecedens. Priusque debuisset probari potentiam visivam esse distinctam, & postea inferri, illam ipsam restitui debere, ut dignificetur Christi miracula. Nam hoc principium, debent dignificari miracula Christi, non inferri entium distinctionem, sufficitque dicere, quod moraliter loquendo, cæcis reddita sit potentia videndi, quia moraliter iudicatur, pro non habente potentiam videndi, qui caret organo. Miracula etiam Christi non indigent atrolli, si aliquid obsit, ut obsint rationes pro conclusione adlatæ. Quod autem addebat de frigore, non convincit, quia potius est pro nobis. Quia sicut aqua calefacta, non adimitur potentia frigoris productiva, sic nec cæcitate adimitur potentia visus, præcipue verò, quia quodcunque est signum, aliqua esse distincta realiter, hoc ostendet, frigus esse distinctum realiter ab aqua, non stabit autem, pro distinctione reali potentiarum animæ.

INSTAT II. idem. In homine anima est spiritualis. Potentia autem sensitiva ac vegetativa sunt materiales, sicut & actus & objecta earundem. Ergo saltem hæc potentia distinguuntur.

RESPONDETUR. Anima in entitate spiritualis, potest tribuere materiam gradum completi corporis, ipsa anima spiritualis est, concurrunt tamen cum potentiis materialibus, ad actus materiales. Ergo & potentia illa, licet sint in entitate spirituales, poterunt ratione organorum, producere actus materiales, circa objecta materialia. Et si per oppositos anima spiritualis, potest ipsa formaliter ex se proferre & emanare potentias materiales, cur non poterit producere actus materiales, potentia spiritualis v. g. visiva, identificata animæ.

OBJICIT V. Suarez. Quo imperfectior est creatura, eo maiorem habet compositionem. Ergo anima rationalis, supra quam sunt plures creaturæ possibiles perfectiores, non debet habere identificatas sibi potentias.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum quod probaret radicem emanandi ex se potentias, non esse unam sed plures. Quod si dicas sufficere multipliciter in ipsis potentiis, dicam & ego sufficere multipliciter in ipsis actibus, dicendo v. g. quod creatura intellectiva quod perfectior est, eo plura objecta per pauciores actus attingat, ut simile quid dicitur de speciebus Angelicis. Quamquam sufficet ad salvandam maiorem perfectionem, sola entitativa excellentia, sicut si comparentur ipsæ creaturæ, non secundum potentias, sed secundum entitates, una adhuc, est perfectior præ alia.

INSTAT I. Suarez per paritates.

I. PARITAS. Materia recipit accidentia media quantitate. Ergo & anima producit operationes, mediis potentiis distinctis realiter.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ex una parte potest tribui Quantitati vis receptiva, ex alia parte, ut tribuatur defacto hæc vis quantitati urget mysterium Eucharistia, ne in illo multiplicentur miracula, tribuaturque vis creandi creaturæ, de quo alio loco egimus. Hic verò, quamvis possit esse anima agens, per potentias superadditas, quia tamen nullum fundamentum habemus id asserendi, cumque possit intelligere v. g. sine superaddito intellectu, fit ut colligamus illi intellectum identificari, ut non multiplicentur entia sine necessitate.

II. PARITAS est. Quia anima ipsa, per nos, utitur organis, quæ sunt distincta realiter ab anima. Ergo & ipsa potentia distincta erunt.

RESPONDETUR. Quod organa sint distincta realiter

realiter experientia docet, cum eruitur oculus, qui est organum visus, & tamen manet eadem anima, separabilitasque arguit distinctionem: nihil autem simile, est, pro distinctione reali potentiarum ab anima.

TERTIA PARITAS. In ordine supernaturali. Potentia sunt distincta realiter v. g. Habitus fidei superadditur realiter gratia, quae est ipsum esse supernaturale. Ergo & in ordine naturali, potentia erunt distincta realiter ab esse naturali.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Disparitas. Quia est separabilis gratia, ab habitu fidei, ut contingit in fidelibus peccatoribus; ex quo arguitur distinctio realis, nulla autem est similis potentiarum separabilitas ab anima. Quanquam aliqui Recentiores, censent habitus morales infusos, non distingui à charitate, quia nunquam reperiuntur sine charitate.

INSTAT II. Idem. Anima est indifferens ad operationes diversarum potentiarum. Ergo indiget determinari à potentia distinctis.

RESPONDET Arriaga & Oviedo, Anima est indifferens ad assensum vel dissensum, nec tamen indiget potentia assentiendi, distincta realiter à potentia dissentiendi. Deinde quod tollit in ipsismet potentiis in differentiam agendi, si supponantur distincta realiter. Quod si in potentiis distinctis, potest tolli indifferentia per occurrentiam obiectorum, excitationem specierum, applicationem liberam, &c. si milia, idem in praesenti nos dicemus.

Argumenta Recentiorum.

Maurus hic Quaest. 30. putat etiam, quod potentia animae, distinguantur realiter ab anima. Hinc ab illo

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 2. de An. c. 6. ubi definit animam, quod sit actus corporis organici, & tex. 11. dicit quaedam partes, seu potentias animae, esse separabiles à corpore, eo quod non sint actus illius corporis. Si autem potentia non distinguantur ab anima, sicut anima est actus corporis, ita omnes potentiae, essent actus corporis.

RESPONDETUR. Concedendo quod in re, etiam intellectus sit actus corporis, licet ut subest nostris conceptibus, praesentantibus eandem animam per modum potentiae productivae actuum intelligendi, non debeat dici actus corporis, cum actuare formae competat, & non potentiae. Tex. autem 11. non agit de potentiis animae rationalis, sed de anima materiali partibili, de qua dicit, quod supposito, quod partibilis sit, sint tamen partes illius aliquae tales, ut si ea demantur, nullum actum habere poterit

corpus, de animaue dicit, quod non sit separabilis à corpore ita, ut maneat in corpore motus, ratioque corporis animati. Verba textus sunt: *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore*, (supple, ut possit actus suos exercere corpus) *aut partes quaedam ipsius si partibilis natura est, non immanifestum*, (supple posito quod anima habeat partes, etiam talis animae partes, sunt aliquae ejusmodi, ut sine illis corpus motus suos habere non possit, exercereque actiones animalis) *quarundam enim actus partium, est ipsarum*. Quasi dicat ab actuione aliquarum partium, pendere etiam in illis vitam, & motum, & actus. Unde praeciso corde & capite animali perfecto, non vivunt reliquae partes. Quod autem ea sit mens Aristotelis colligitur ex Antecedentibus. textu 8. habet. Si corpus aliquod esset substantialiter, securis movere se non posset, nisi haberet animam, qua abscedente, jam amplius non esset securis, eo quod ad actum secandi, illa substantialis securis, indigeret animam. Verba ejusdem sunt. *Sicut si aliquod instrumentum naturale esset corpus, ut securis; esset enim securi substantia ipsius, anima & hoc, separata autem hac, non utique amplius securis esset, nisi aequivoce*; ubi dicit sine anima non mansuram illam securim in ratione secantis, adeoque securis, sed ad hoc, requirit animam, illius corporis, quod est securis, quod ita probat. *Non enim huiusmodi corporis ipsum quid erat esse quasi dicat, non solo corpore constabit in ratione securis; sed ratio anima*, supple, indiget anima, tanquam principio motus *sed naturalis huiusmodi habentis in seipso principium motus & status*. Textu 9. idem dicit de oculo, non manere illum in ratione oculi formaliter, si abscedat anima. Textu 10. dicit. *Non est autem quod abiecit animam, potentia existens ut vivat*. Quasi dicat non est potentia motum exercere vitalem, quando anima abscedit, nisi in istis quae habent semen, quo mediante movent. Hinc & textu 11. illa verba *Quod igitur anima non sit separabilis à corpore*, accipienda erant, quod nec separata anima indivisibili, nec reparata anima divisibili, si non maneant principales partes, erit principium animalis operationis. Quid ergo hic de potentia intellectiva condistincta & separabili?

OBJICITUR II. Auctoritates Sacrae. Sed illa solvenda ex dictis supra ad objectionem primam, ubi dictum, quid nomine viventis veniat, cur item mens, dicatur oculus & visus. Quando autem S. Anselmus dicit, potentias animae non esse substantiam ejus, loquitur de Metaphysico constitutivo, non loquitur autem, quod physice non sint substantia animae. Nec item obest quod S. Damascenus in sua dialectica, ponat potentias animae in praedicamento qualitatis, sunt enim qualitates metaphysicae,

† (N)

non

non physica; multa autem ponuntur in prædicamentis, quæ non sunt physice & realiter distincta.

OBJICIT III. Actus illi, quos statim, ut experimur, distinguimus, per hoc, quod sint actus diversarum potentialium, verè debent esse diversarum potentialium, sicut à contrario, actus illi quos statim reducimus ad unam potentiam, verè debent esse actus ejusdem potentie. Sed omnes actus videndi v. gr. licet de objectis contrariis, reducimus ad visivam, actus audiendi ad auditivam. Ergo & potentie ipsæ distinguuntur.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum. Licet statim ac experimur in nobis apprehensionem etiam contrariorum, reducamus illam ad intellectum, non utcumque tamen, sed ut apprehendentem, & dum experimur actum enuntiandi, vel inferendi, actum enuntiandi reducimus ad intellectum non utcumque, sed enuntiativum, actum autem syllogizandi ad intellectum, non utcumque, sed syllogizantem referimus, nihilominus hi intellectus, non sunt in nobis distincti realiter. Ergo & in præsentem idem dicendum. Deinde distinguitur major actus, quos statim, ut experimur, distinguimus, per hoc quod sint actus diversarum realiter potentialium deberent esse actus diversarum realiter potentialium, Concedo. majorem. Actus quos distinguimus per hoc quod sint actus diversarum, ob diversa connotata potentialium, deberent esse actus diversarum realiter potentialium, Nego Majorem.

INSTAT I. Idem. Licet actus videnti & actus imaginandi, habeant aliquando idem objectum, adhuc distinguimus illos inter se, per hoc, quod sint actus diversarum potentialium. Ergo potentia visiva & imaginativa sunt diversæ potentie.

RESPONDETUR. Eadem methodo ut primo argumento. Negatur item hæc quæ hic supponitur Major: Qui actus distinguuntur inter se realiter, illi ostendunt distingui realiter potentias. Unde actus distincti realiter, in suo effici, realiter pendent à potentiis, sed non pendent à potentiis, in suo distingui, quasi non essent distincti realiter; nisi quia proficiscuntur à potentiis distinctis realiter. Cum individua v. gr. humana, distinguantur realiter inter se, & in effici, pendent ab Omnipotentia, neque tamen distinctio illorum realis, proficiscitur à distinctiōe reali Omnipotentie producentis Paulum, & omnipotentie producentis Paulum.

INSTAT II. Idem. Primo aspectu non minus videtur absurdum quod homo per intellectum velit, per voluntatemque intelligat, quam quod per oculos audiat, per aures videat. Ergo voluntas & Intellectus distinguuntur realiter sicut oculus & auris.

RESPONDETUR. Negando, absurdum esse dicere, quod intellectus velit, licet sit absurdum dicere, quod oculus audiat, quia hujus locutionis sensus est, auditio exercetur in organo oculi, quod falsum est; cum manifesta sit diversitas & distinctio realis horum organorum.

INSTAT III. Horum omnium à priori est ratio, quia ad actus attingentes objectum sub diversa ratione formali, & per modos terminandi diversos, requiruntur diversæ potentie, & si tales sint actus materiales, requiri solent diversa organa materialia.

RESPONDETUR. Ex dictis fallere majorem in intellectu enuntiante & inferente, definiēte & discurrente, licet alia sit ratio definiendi, & diversus operandi modus. Fallit item major in sensu communi, quia ratio visibilis, est ratio formalis alia, modusque tendendi invisibile, est alius, ac inaudibile; & tamen hæc omnia proficiscuntur ab eodem realiter principio, in sensu communi. Quare autem licet organa sint realiter distincta, non sit necesse distingui realiter potentias, dictum supra.

Addo, quid sentiendum de illo quod dicit Maurus ad sextum, nempe in suis principiis potentiam apprehensivam, judicativam & discursivam, esse unicam potentiam, quia sicut omnes visiones reducimus ad unam potentiam visivam, ita omnes apprehensiones, judicia, ac discursus reducimus ad unam potentiam intellectivam. Memoria tamen inquit aliquantulum distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species objectorum, ante cognitorum, *Sed etiam*

NON SATISFACIT. Quia auditiones & visiones licet reducuntur ad potentiam sensitivam, nihilominus reducuntur ad potentias, (ut vult Maurus) distinctas realiter, ita ut reductio ad potentiam sensitivam, sit reductio ad aliquid genericum, ergo etiam reductio apprehensionum, judiciorum, & discursuum, ad intellectum, erit reductio ad aliquid genericum, nec impediet, quominus reductio ad Intellectum, apprehendentem v. gr. Sit reductio ad aliquid distinctum realiter, à potentia judicativa. Aut si hic reductio, non est ad distinctam realiter potentiam, nec hæc erit. Item, si aliquantulum distinguitur memoria ab intellectu, ratione specierum, quas superaddit; etiam intellectus indiget speciebus, quibus non indiget voluntas, quæ talis & qualiter tantum, distinguetur à voluntate.

Punctum Difficultatis 1.

Influeretne Anima immediate in operationes, si distingueretur à potentiis?

DICENDUM est. Animam immediate eo etiam casu, influxuram in operationes.

PROBAT

PROBAT I. Conclusionem Ariaga & Ovi-
do. Anima immediate debet concurrere ad
actus voluntatis. Ergo immediate influit in
suas operationes. Antecedens probatur. Quia
si sola potentia influeret in actus voluntatis, sola
potentia & non anima peccaret, anima enim
non efficeret peccatum, id autem solum peccat,
quod est causa peccati.

RESPONDET I. Recentior Suarez, Ani-
mam cum peccat, solum peccare per suam vo-
luntatem, solum enim peccat in quantum est li-
bera, & solum est libera, per voluntatem, quo-
modo autem anima possit peccare per solam vo-
luntatem, illustrat hoc instantiis. Omnes ho-
mines peccaverunt per solam voluntatem Adæ;
& si ad hoc peccatum sufficiebat alligatio vo-
luntatum moralis ad voluntatem Adæ, multo
magis sufficeret alligatio physica, animæ cum
voluntate. Et sicut Principes agunt moraliter
per suos plenipotentarios, Populi per Principes,
pupilli per tutores, contrahentes per suos pro-
curatores, propter alligationem moralem, cur
non censetur anima agere per voluntatem,
propter alligationem physicam.

CONTRA. I. est. Tum quia, per quod
transitur à non esse peccatoris, ad esse peccato-
ris, debet esse talis mutatio, ut illa posita, impos-
sibile sit non fieri peccatum, ut notum est ex de-
fensione hujus principii alias factâ. Sed si ani-
ma seipsa non influeret in actionem peccami-
nosam, non posset ostendi talis mutatio; quod
probatur. Quia actio ipsa peccaminosa seipsa
non potest inducere peccatum in animam, si
enim per impossibile vel possibile, non esset vo-
luntas unita animæ, & exerceret actionem pec-
caminosam, nullum esset fundamentum pecca-
turæ tunc animam, haberet se enim tunc ani-
ma, sicut voluntas Christi Humanitatis, & Bea-
tissimæ, non alligata voluntati Adami; sic nec
anima esset tunc alligata voluntati peccanti.
Conjunctio etiam ipsa cum voluntate, non pot-
est facere, ut peccante voluntate, peccet ani-
ma. Quia nihilo aliter habet se anima in ordi-
ne ad actionem peccaminosam, conjuncta at-
que non conjuncta; in quo enim aliter se habe-
ret, quod ad præsens sine petitione principii
conducatur, quomodo ergo ex conjunctione illa
peccabit? Et non alligatio illa ad voluntatem,
libera non sit animæ, si anima peccat non nisi
propter alligationem, quomodo liberè pecca-
bit, idque per actum suum proprium, peccato-
que actuali. Tum quia id quod meretur, exer-
cetque negotium salutis, non se in illo negotio
per Tridentinum merè passivè habet. Ergo &
id quod peccat, non se merè passivè habebit.
Si autem anima non se moveret ad operationes,
quomodo non se merè passivè habebit. Tum
quia quomodo possit aliquis peccare peccato
alienæ voluntatis hoc est originali, explicabilis
est, ut faciunt Theologi in materia de peccatis,

sed quod sine motu proprio & actuali, peccare
possit anima actualiter, non est explicabile.
Tum quia; peccante voluntate, vel ita trans-
funditur peccatum in animam, sicut transfun-
ditur originale in posteros, vel ita sicut trans-
funditur in ipsam voluntatem peccantem. Si
ita ac in ipsam voluntatem. Ergo ita aget sic-
ut voluntas, illa enim transfusio nihil aliud est,
nisi ipsa actio peccaminosa disordinans volun-
tatem. Quod si ita transfunditur, sicut trans-
funditur originale, ostende, qui fieri possit, ut
cum dicatur anima illa, non origine, sed actu
peccatrix, sit tamen talis, sine ullo actu; quo-
modo item possit aliquid, per aliud à se, peccare
suo physice peccato. Tum quia. Demus Tu-
tores pupilli occidisse aliquem; non poterit di-
ci, quod occiderint nomine pupilli. Ergo nec
in presenti dici poterit, peccante voluntate pec-
care animam.

CONTRA II. Quero, voluntate peccan-
te, vel potest dicere anima, nolo, volovè pec-
care, vel non potest dicere? Si potest? Contra-
erit. Tum quia jam prout condistincta à vo-
luntate velle posset, rediretque quæstio, an ve-
lit per identificatam, an per distinctam volun-
tatem. Si per identificatam, Ergo & prior illa
erat identificata. Si per distinctam, dabis pro-
cessum in infinitum. Tum quia si anima pot-
est dicere volo peccare, idque prout condistin-
cta à voluntate. Ergo prout condistincta à
voluntate, influet in actum peccaminosam, il-
lud enim influere non aliud est, quàm dicere,
volo peccare. Quod si non potest dicere ani-
ma, nolo, voloque peccare, Ergo non est libe-
ra, Ergo non peccat. Neque valet, si dicas, li-
berè illam mediare, quia facit per voluntatem.
Non inquam valet si id dicas, quia de hoc ipso
quæritur, quomodo faciat per voluntatem; di-
camque posse salvari libertatem totam, licet
Deus determinaret ad peccandum, quia me-
diare homines habuerunt libertatem, habentq;
potentiam liberam.

CONTRA III. Ponamus peccatum esse actum
positivum, realiter separabilem à peccatore, si
ille actus poneretur in anima alijs, qui illum
actum non elicit, unireturque unione phy-
sica eidem animæ, nihilominus per illum,
anima non peccaret. Ergo nec per peccatum
suz voluntatis, sibi physice unitum peccat, utro-
bique enim intercedit unio physica, quæ si in
uno non facit, ut dicatur peccare per peccatum
unitum physice, quare faciet in alio. Ea certè
anima, prout condistincta voluntati, vel peccat
liberè, vel necessariò. Si liberè. Ergo proprio
motu. Sinecessariò. Ergo non peccat. Ne-
que dicas, quod peccet liberè ratione volun-
tis; argumentum enim procedit de illa, prout
condistincta à voluntate.

RESPONDEBIS II. Quod admiserimus in
physicis, mediantibus accidentibus causis prin-
cipa-

† (N) 2 cipa-

cupales agere, modo causæ principali debito, hoc est, non agendo per se, sed per instrumenta.

CONTRA. Tum quia instrumenta illa, de quibus inibi actum, sunt talia, quorum vim agendi, quamvis non possint reprimere substantiæ, censentur tamen illa instrumenta, agere nomine substantiarum. Si autem non posset anima reprimere suam voluntatem, hoc ipso non censeretur anima peccare per voluntatem, quomodo enim jam esset illi liberum, non peccare. Ergo apparet aliter comparari debere animam ad voluntatem, & substantias ad sua instrumenta. Tum quia, illa instrumenta sunt ejus naturæ, ut etiam separata à principali agere debeant, salvo hoc, quod actio illa, tribuatur principali. Hinc modus agendi illarum substantiarum est actio instrumenti. Jam autem voluntatis separata ab anima, actio, non tribueretur animæ. Ergo apparet actionem animæ, non esse præcisè actionem voluntatis. Tum quia, à modis agendi causæ necessariæ, non tener illatio ad modum agendi causæ liberæ, quæ talis.

PROBANT II. Idem debet esse principium volitivum & cognoscitivum. Sed nisi anima immediatè concurreret ad actus cognoscendi, & ad actus volendi, non idem esset principium volitivum & cognoscitivum, sed distinctum realiter. Ergo. Major probatur. Quia si non idem deberet esse principium volitivum & cognoscitivum, voluntas ferretur in incognitum, non enim posset cognoscere. Nec refert, quod aliquid, distinctum ab ea realiter, cognoscat. Quia, ut illustrat Arriaga, parum refert Petro, si Joannes viam sciat, nisi hæc sit notitia, etiam in Petro. Et certè communi phrasi, voluntas appellatur cæca, quæ cæcitas actu tolli non potest, si alius quis, distinctis à se, videat.

RESPONDET I. Recentior Suarez voluntatem ferri in incognitum à se, cognitum tamen ab Intellectu.

CONTRA. Voluntas prout condistincta ab Intellectu, vel cognoscit, vel non cognoscit. Si cognoscit? Ergo identificat sibi intellectum. Si non cognoscit, quæro, an unio voluntatis cum intellectu, faciat voluntatem cognoscitivam, vel non facit? Si faciat, Ergo faciet illam intellectum. Si non facit cognoscitivam. Ergo ita cum unione illa manet cæca, sicut manebat sine unione. Ad eum modum, sicut si lux non illuminaret parietem & non faceret lucidum, ille ut ante, in tenebris esset. Sic etiam, nisi unio illa faciat voluntatem cognoscentem, ut ante, feretur in incognitum. Rursus, nihil plus habet voluntas illuminata ab Intellectu, si nihil percipit, atque tunc, cum non illuminatur ab Intellectu. Quia illud illuminari non videtur plus esse, quam percipere, sed si non illuminaretur esset cæca: Ergo & si non percipit, erit cæca.

RESPONDEBIS II. Propter radicationem illarum potentiarum in anima, fit ut ex opera-

tione unius potentia, excitetur operatio alius potentia.

CONTRA. Redit argumentum. Quomodo poterit fieri illa exercitatio, ut salvetur voluntatem non ferri in incognitum, si illa nullo modo percipit objectum. & si non est idem volitivum & cognoscitivum.

PROBATUR III. Quia si anima non concurreret ad operationes, haberet se sicut aliquid mortuum, nec plus ageret in corpore, quam forma lapidis unita ejus materiæ. Siquidem nihil jam ageret. Et sicut in materia de Angelis dicitur, quod si nihil operaretur Angelus, haberet se sicut mortuum quid, sic & in præsentia, anima esset quid mortuum.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Potest comitti peccatum, propter alligationem voluntatis humanæ, ad voluntatem Adami. Potest item fieri aliquid nomine populi, vel Principis, propter alligationem cum voluntate Principis, vel locum tenentis. Corpus item punitur propter sola peccata animæ, cui est alligatum corpus. Ergo etiam propter alligationem physicam voluntatis cum anima, poterit dici quod peccante voluntate, peccet anima puniaturque.

RESPONDETUR. Quod attinet ad Originale, Disparitas est. Quia connexio nostrarum voluntatum fuit nonnisi moralis, quomodo enim physicè connecti potuissent cum Adamo cum necdum fuerint; propter quam moralem nonnisi connexionem, fieri etiam potuit, ut absolute nos physicè non peccaremus, peccante Adamo, siquidem hæc moralis connexio, fuit nonnisi ex pacto. Jam autem quando voluntas peccat, debet ita peccare, ut hoc ipso, non possit non peccare anima, si enim peccante voluntate potest non peccare anima, non ostenditur sufficiens ratio, cur potius peccet. Ut ergo peccante voluntate dicatur peccare anima, non sufficiant alligatio moralis, non etiam physica unio, propter rationes adlatas. Ergo apparet recurrendum hinc esse ad aliud, hoc est, ad motum proprium animæ: licet in originali non sit recurrendum. Hoc ipsum, hæc alia methodo proponitur. Quia ad peccandum peccato originali (idem dic de faciendo aliquid nomine Principis vel populi) non est necessarius motus physicus posterorum, hoc ipso enim, illud peccatum non esset originale. Ad peccandum autem actuali peccato, necesse est moveri motu suo physico, quia nec ad mereri, nec ad demereri, habemus nos merè passivè. Cum ergo anima sit peccatura tunc peccato actuali, debet etiam intervenire, motus physicus ejusdem. Quod ad instantiam de corpore attinet, illa parum vincit.

vincit. Quia corpus nullo modo rigorose peccat, consequenter nec debet moveri motu proprio; rigorose enim anima peccat. Immo hæc instantia adhuc aliquomodo est pro nobis, quia ad actus sensuales, physice concurrunt corpus, Ergo & ad actiones peccaminosas, Physice debet concurrere anima.

OBJICIT II. Recentior Suarez. Quia sine necessitate admittitur hic concursus ipsius animæ.

RESPONDETUR. Necessitatem ejus desumi ex adlatis rationibus.

INSTAT I. Motus progressivus, sufficit quod imperetur à voluntate, & eliciatur immediate à potentia progressiva. Ergo non est necessarius concursus immediatus animæ.

RESPONDETUR. Medium terminum esse pro nobis. Nam ipsa voluntas imperat motum, influitque in illum per actum suum. Ergo & anima, idem facere debet. Rursus cum voluntas non ambulet, sufficit, ut motus eliciatur immediate à potentia progressiva: cum autem anima peccet, debet etiam producere immediate actum peccaminosum.

INSTAT II. Non est necessarius immediatus concursus animæ, ad actum peccaminosum, ad hoc, ut dicatur peccare. Quod ipsum probat. Aut enim anima peccat, per solum suum concursum partialem immediatum, aut etiam per concursum partialem voluntatis. Non per solum suum partialem immediatum concursum, quia hic non est liber, adeoque nec peccaminosus. Si per concursum voluntatis, iste non est immediate ab anima. Ergo anima potest peccare per concursum mediatum, non suum, sed suæ voluntatis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum esse pro nobis, quia cum partiales isti concursus non denunt, nec sufficiant ad peccatum, cum tamen constet peccare animam, fit, ut anima per indistinctam voluntatem, debeat concurrere ad illos actus. In sententia autem quæ distingueret potentias, deberet dici, quod peccet anima per suum immediatum concursum, qui etiam est partialiter, immediate liber.

INSTAT III. Intellectio & volitio immediate in potentiis recipiuntur. Ergo & immediate ab illis causantur.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, supposito quod hæc potentia, non distinguantur ab anima. Supposito autem quod distinguantur, Disparitas est, quia hoc quod proprio peccato peccat actualique non potest dici, quod peccet sine motu proprio, consequenter & anima, quæ proprio physice peccato peccat, debet agendo ad illud moveri. Non est autem necesse, ut aliquid dicatur immediate peccare, non est inquam necesse recipere in se peccatum, cum quamvis in voluntate non reciperetur, adhuc peccaret voluntas.

OBJICITUR III. Impugnando rationem conclusionis secundam. Potest excitari habitus qui non sit cognoscitivus, adducique ut agat una cum potentia, idque propter unionem & radicationem in eadem anima. Ergo etiam & voluntas, quantumvis non sit cognoscitiva, potest ad agendum excitari cognitione, in solo intellectu existente.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia habitus feruntur in incognitum, nec debent se determinare ut ad unam potius partem, quam ad aliam concurrant, quia sunt determinati non nisi ad similes actus. Jam autem voluntas non potest ferri in incognitum, debetque se determinare ad hanc potius, quam ad illam partem, quod fieri non posset si non esset, idem principium, volitivum & cognoscitivum.

INSTAT PONTIUS. Ignis calefacit, quamvis calefactio ab eo immediate non procedat, sed à calore ipsi inhaerente. Ergo etiam peccare poterit & anima, quamvis actus peccaminosus, v. gr. non procedat ab illa immediate.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ad hoc ut dicatur ignis calefacere, sufficit ut se mortuo etiam modo habeat, cum illi tribui possit effectus, etiam non conjuncto cum calore, ut vidimus in physicis. Jam autem quod peccat, mortuo se modo, ad hoc, non debet habere. Si autem sola voluntas ageret, mortuo se modo ad hoc deberet habere anima. Quod autem dicit Pontius, sicut anima non concurrat immediate ad operationes, sed non nisi imperativè, sic etiam non punitur immediate, sed pena immediate recipitur in potentiis, mediatè in anima. Id etiam non convincit. Quia phrasæ Patrum, sine restrictione docent, animam pati, animam damnari. Simpliciter autem dictum, Pati, supponit pro pati immediate. Deinde argumentum adlatum non in eo se fundabat, quomodo scilicet, & quare puniatur anima, sed in eo, quomodo non est idem principium cognoscitivum & volitivum, & in eo, quomodo peccet anima peccato actuali, sine actuali suo motu.

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo influant partes animarum divisibilem, in Operationes?

EST hoc punctum Difficultatis, non nisi complementum materiæ, de concursu potentiarum, & est solutio argumenti, quod ostendit sufficere, quod intellectus eliciat cognitionem, & non anima. Est autem

ARGUMENTUM tale. Potentia hoc motiva residens in capite, movetur ex sensatione existente in pede v. gr. si pes percutiatur, & tamen non est idem principium sentiens illam dolorem, & movens. Ergo neque in creatura rationabili idem debet esse principium cognoscitivum & volitivum. Antecedens probatur. Distincta est pars animæ residens in capite, &

† (N) 3. resi-

residens in pede. Ergo non est idem principium movens & sentiens dolorem. Et titulus, & argumentum propositum, deponunt universalem resolutionem; An sensatio facta in hac parte, eliciatur à tota anima, divisibili, bruti.

DICENDUM est. *Sensationem factam in oculo v. gr. non exerceri ab anima bruti posita in pede.* Et universaliter sensationes animæ divisibilis, non fiunt ab anima tota. Ita Arriaga contra Oviedo.

PROBATUR I. Quia si abscindatur pes equo, vel auricula, vel alia pars sine qua vivere potest, æquè benè videret ante, quod cerre non fieret, si influxisset in visionem etiam pars animæ, quæ est abscissa cum pede. Quia diminutis causis, non ita intensus prodit effectus.

PROBATUR II. Quia vel illa sensatio tota producitur ab anima residente in oculo, & tota ab anima residente in pede; & hoc non, quia à duabus causis totalibus, naturaliter idem effectus prodire non potest à totalibus inquam, ejusdem rationis. Si autem eliciatur ita, ut quamvis anima quæ est in oculo, sola possit elicere visionem, nihilominus attemperet suum concursum, ut quæque locum agendi, etiam reliquis partibus, hoc dici non poterit, quia nullum fundamentum est asserendi, unde illa agentia moveatur, ad temperandum concursum. Rursus illæ partes non sunt æqualiter applicatæ; jam autem ex generali regula, quam advertit Arriaga, quando aliqua causæ, sunt inæqualiter applicatæ, quamvis vim habeant agendi, si tamen absit applicatio æqualis, censendus est produci, à causa, melius applicata.

CONFIRMATUR. Quia expressè dicit Oviedo. Ideo vivens majus corpore, non videre melius, viventi, quod est minus corpore, quia reliquæ partes habent sua munera, quæ exercent in pluribus partibus materiæ. Cur ergo non ita etiam occupat, & alligata ad munera in pede exercenda, ut non concurrat ad sensationes oculo faciendas.

PROBATUR III. Quia si anima existens in pede, concurrat ad eliciendam visionem, vel sua entitate immediatè informat oculum, cum illoque concurrat: & hoc non, quia aliàs in duplici loco esset, vel certè transfundit virtutem suam per medium, quæ postea sit elicitiva visionis cum oculo, & hoc non, quia tales virtutes non nisi illis agentibus concedi debent, quorum virtus, etiam separata à suo principio, agere potest, ac egisset unita: & ita conceditur igni calor, qui calefacit, separatus ab igne, quantitas materiæ, separata in Eucharistia, subiectat accidentia; jam autem nulla est virtus, quæ separata ab Entitate animæ, se sola, producat visionem. Non etiam potest elicere actionem, eamque transmittere in oculum; quia impossibile est transmitti actionem per medium, nihil agentem in medio, hoc enim ipso illa actio, non esset actio.

OBJICIT I. Oviedo. Anima bruti secundum se totam, est capax elicere visionem, constat enim partibus homogeneis. Rursus secundum

omnes partes, est sufficienter applicata ad visionem eliciendam, nec impeditur quod in pede existens, non habeat in pede organisationem oculi. Quod ipsum probatur. Quia agens divisibile non debet esse, immediatè applicatum passo, secundum omnes sui partes, sed sufficit ut habeat applicationem immediatam, ratione alicujus partis, mediatam ratione aliarum. Ergo idem dicendum de anima.

RESPONDET Arriaga, quod id verum sit, quando experientia adest, qualis experientia est, quod non solum partes conjunctæ ignis agant, sed & remotiores. Nam si remotiores dividantur, non fit tam intensa actio; experientia autem nulla est, quod concurrat pars animæ existens in pede ad visionem. Immo est experientia in oppositum ut vidimus, cum parte animæ abscissâ pede, non fiat ulla diminutio in videndo.

Aliter eidem objecti onis satisficit, quod procedat de operationibus inorganicis, non autem de organicis propter rationes adlatas.

OBJICIT II. Idem. Non impeditur anima bruti in pede existens defectu organi videndi. Ergo adhuc potens visionem elicere in oculo. Antecedens probatur. Quia organisatio se tenet ex parte subiecti, & non requiritur ex parte agentis, neque ratione principii activi, neque in illa parte, à qua fuit actio, sed in illa parte in qua recipitur, vel cui unitur illius terminus. Ergo visio recipienda in pupilla, etiam si producenda sit à tota anima, non requirit organisationem, quoad omnes partes immediatam.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, quod scilicet organisatio requiratur ad solam recipiendam v. g. visionem, & non requiratur ad agendum, saltem tanquam necessarium prærequisitum, sine quo procedere non potest ad eliciendam actionem; aliàs anima videre posset independentem ab organo, & cum antecedenter ad receptionem sensationis, jam sensatio sit materialis, debuit dari restrictivum animæ, ut illam materiale eliceret, quod restrictivum non ostendi, nisi concedatur, præter receptionem in subiecto materiali, esse aliquid prius, quod antecedenter à parte principii etiam requisitum, restringat animam.

OBJICIT III. Argumentum prædictum quomodo in bruto, idem sit principium cognoscens, & movens.

RESPONDETUR. Communiter, à parte sentiente transmitti species ad cerebrum, ubi cognitiva brutorum refidet, quæ adjuncta speciebus, ut inquit Arriaga, transmissis, cognoscit objectum, quod prius anima senserat in pede, quæ etiam prout appetitus est, elicit actum, quo vult movere totum corpus, aut partem, proceditque ad motum nervorum ex cerebro per totum corpus diffusorum, quibus motis etiam anima in pede existens, movetur, g. pedem.

DIFFICULTAS II.

De Potentiis prout receptivis operationum.

Quæstio procedere potest, vel de operationibus materialibus, qualis est operatio phantasiæ, & sensuum, vel de immaterialibus nempe intellectu & voluntate.

DICEN-

DICENDUM est I. *Actus immateriales immediate recipi in anima.*

PROBATUR. Quia v.g. intellectiones, non recipiuntur in potentia intellectiva, quia hæc condistincta ab anima non datur, non etiam recipiuntur in corpore, quia ex una parte anima est subiectum, sicut gratia ita & operationum immaterialium capax, salvabiturque ita, quomodo actus vitalis, si nihil obsit, ab eodem principio recipiatur, à quo producit. Ex alia parte si nihil obsit, debet illis proportionatum subiectum assignari, maior autem est proportio operationum spiritualium, cum subiecto spirituali. Et licet quidem materia, sit subiectum connaturale animæ spiritualis, non sequitur esse subiectum connaturale etiam operationum illius, quia nisi reciperetur anima spiritualis in materia, non fieret ullum compositum substantiale, nec satisfaceret ordini essentiali, quem dicit forma spiritualis, ad materiam. Immo nisi in illa reciperetur, nullum aliud esset subiectum repetibile, in quo recipi connaturaliter posset. In præsentem autem pro actionibus immaterialibus recipiendis, in materia, non militant similes rationes.

DICENDUM est II. *Actus materiales ne quidem inadæquatè recipi in anima.* Est conclusio Oviedi contra Ariaga. Et à fortiori eorum qui censent, ne divinitus quidem posse recipi accedens materiale, in subiecto spirituali.

PROBARI I. Posset ex Recentiori Suarez. Quia non magis independenter sensationes à materia, quam intellectiones: Si non reciperentur in materia ipsa, sensationes, sicut in materia non recipiuntur intellectiones.

RESPONDERI potest. Actiones materiales quoad subiectum, æquè independenter à materia, atque intellectiones, nam in his principiis sicut intellectiones, ita & sensationes, reciperentur saltem inadæquatè in anima spirituali, licet quoad elici, magis pendeant sensationes à materia, quia materiales actiones, sine organo elici non possunt, cum sine illo eliciantur intellectiones.

Urget rursus. Quia non est unde illæ actiones forent materiales, non ex objecto, quia circa objectum materiale, fieri possunt actiones spirituales; Non ex subiecto, quia hoc esset spirituale, nempe ipsa anima.

RESPONDERI posset. Actiones illas fore materiales, quia in illis eliciendis, restringitur anima spiritualis per organum. Quod dicit deferendas istas actiones ab anima separatas, id non convincit, cum anima ne quidem actiones spirituales secum deferat. Si autem res sit de speciebus, dici posset illas non esse deferendas, quia corrumpuntur, utpote materiales, ordinatæque ad deserviendum corpori, quod deletur. Cumque ille status exstendi, sit spiritualis, spiritualia non nisi instrumenta depoliceat, finitque illo sine, ad quem nata sunt deservire species materiales, hoc est operationes in corpore, & ipsæ desinent. Denique quod addit inde sequi solam ani-

mam videre & non oculum, ambiguum est. S enim id velit significare, quod non detur ulla potentia visiva condistincta ab anima, id libenter concedetur. Si autem significet, oculum pro sola materia acceptum, non esse principium elicitive visionis id dare docet Oviedo hic contr. 3. p. 1. n. 17. Si autem velit significare, quod independenter ab organo eliciatur illa visio, id omnes negabunt. *Sed aliter*

PROBAT idem Suarez conclusionē. Quia anima vel sentit per illam partialem sensationem, in seipsa receptam, aut etiam per illam partialem receptam in materia, si sentit etiam per illam partialem receptam in materia, ergo quamvis tota reciperetur in materia adhuc per illam sentire posset anima. Si autem sentit non nisi per illam in se receptam, ad quid requiritur illa pars, recepta in materia.

PROBAT Oviedo. Non potest esse anima, subiectum adæquatum operationum materialium, ut docent oppositi. Ergo nec poterit esse subiectum inadæquatum. Quod probatur. Incapacitas recipiendi adæquate formas materiales, non oritur in anima ex alio, quam ex improportionē inter rem spiritualement & materialem. Sed eadem improportio manet, respectu subiecti inadæquati. Ergo.

PROBATUR III. conclusio. In linea agendi semper quæritur principium proportionatum. Ergo & in linea recipiendi. Jam autem spirituale subiectum, non est proportionatum, recipiendo alicui materiali.

OBJICI TUR I. Si non reciperetur actio materialis v.g. visio in anima, & esset ille actus vitalis, & non esset. Esset ut supponitur. Non esset autem, quia de ratione actus vitalis est, ut actio ab eodem principio eliciatur, & recipiatur.

RESPONDETUR. Si actus vitalis proficiscatur, à solitariè sumpta potentia, in illa recipi debet. Si autem actus vitalis non proficiscatur à potentia solitariè sumpta, sufficit ut in alterutro existat, quæ ad illum actum requiruntur, recipiatur; hoc est magis proportionato. Quia autem visio ocularis non fit ab anima solitariè sumpta, sed in organo, sit ut in illo tanquam proportionato, recipi possit, sufficitque ut vel immediatè vel mediatè, in potentia recipiatur, quando recipitur in organo, cui unita est anima. Et certè tota ratio receptionis actus vitalis, in principio à quo producit, in hoc sita est, ne maneat accedens sine subiecto, & ne actus immanens extra exeat. Quod totum salvatur, quamvis recipiatur sensatio non in anima immediatè, sed in organo.

Potest & alia via teneri ad respondendū huic argumento. Quod scilicet de ratione actus vitalis sit, non recipi in potentia eliciente, sed uniti illi, quæ duo distincta sunt, nam materia unitur formæ, non recipitur in forma. Sic etiam & ille actus, non recipitur quidem in anima, utpote spirituali, unietur tamen illi, quia indistabit ab anima unita organo in quo recipitur immediatè. Sufficere autem hoc ad rationem actus vitalis.

† (N) 4

PRO-

PROBATUR. Negativo argumento, quia nulla necessitas est, plura ad vitalitatem requirendi. Unde majorem habebunt immanentiam operationes bruti cum bruto, & intelligentiones cum anima, quia & recipiuntur & indistabunt; jam autem operationes materiales hominis, indistabunt quidem ab anima, non recipiuntur tamen in illa. Quanquam supra etiam dictum, quod de ratione essentiali vitalitatis, non sit, immanentia per receptionem.

INSTABIS. Non potest reddi anima volens, actu voluntatis sibi unito, ergo nec reddi videns, visione in alio recepta.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ad hoc ut dicatur aliquis velle, non debet se habere mortuo modo, debetque se movere, ceteraque sunt paria, quia est proportio inter animam & volitionem; jam autem etiam si anima non subiectet visionem materialem, nondum se mortuo modo habebit ad illam anima, movebit enim se ad illam producendam, ceteraque sunt imparia; quia est improportio inter animam spiritualem, & inter materialem actionem.

OBJICIT II. Ariaga locum S. Augustini, ubi de Spiritu & anima, appellat animam sensum, dum sentit.

RESPONDETUR. Concedendo totum, neque enim hic quidquam agitur de receptione, solumque forte vult Augustinus dicere, quod potentia sensitiva, indistinguatur realiter ab anima. Denique hoc solum vult forte Augustinus animam reddi sensum, principiando sensationem. Et quamvis non exprimat Augustinus se agere de productione sensationis, suffecerit interim, quod non agat de subiecto receptionis elarè.

OBJICIT III. idem rationes.

PRIMA est. Si anima bruti non reciperet sensationem, non redderetur magis sentiens & appetens, quam materia. Vna enim aequè primò dicit receptionem & effectiorem sensationis.

RESPONDETUR. In brutorum anima, utpote materiali, recipi sensationes, non in spiritali humana; magis tamen sentiet anima humana, quam materia, quia ut dixi supra, vitalitas potissimum spectatur, penes ipsam actionem.

SECUNDA RATIO. Sensatio non potest facere materiam sentientem, ergo nec in illa recipi, sicut quia Quantitas non potest facere Angelum extensum, in illo non recipitur.

RESPONDETUR. Quod sensatio faciet materiam sentientem, hoc est, habentem sensationem sibi unitam, ad quam etiam concurret, non faciet tamen sentientem, quasi se sola percipiat objectum. Quantitas autem ideo non recipitur in Angelo, quia Angelus est subiectum illius improporcionatum, quæ improportio non est inter organum, & actionem materialem.

TERTIA RATIO. Si sensatio non recipere-

tur in anima, non posset reddere hominem sentientem. Quod ipsum probatur. Quia ut aliquod totum, propriè ac simpliciter denominetur tale, debet illa denominatio cadere, supra aliquam illius partem, sed si anima non recipit sensationem immediatè, denominatio sentientis nulla parti tribueretur determinatè; non enim tribueretur materiæ, quia hæc recipiens sensationem, non sentit; non item tribueretur animæ, quia hæc non reciperet sensationem. Ergo. Illustrat hoc instantia. Quia sicut anima, si reciperet immediatè albedinem, cum anima sit incapax denominari alba, non potest homo dici ratione illius albedinis, albus, sic nec in præsentia dici poterit sentiens.

RESPONDETUR. Negando sequelam, Quia anima denominatur sentiens elicitive, quamvis non receptivè immediatè, ratione cuius, bene potest denominari totus homo sentiens, præcipuè cum sensatio, ut dictum supra, desumatur unice ab ipsa actione. Eidem argumento bonam dat solutionem ipse Ariaga; quod scilicet denominatio sentientis, ex duplici ratione constet, ex recipere, & ex elicere, quorum utrumque non est necesse, ut eidem conveniat.

Continuatur Solutio,

Et quid de potentia absoluta fieri possit ostenditur.

QUARTA RATIO ejusdem est. Si quis effectus non possit coalescere ex aggregatione subiectorum, sed debeat esse in uno, is maxime erit effectus v. g. videntis, quod ipsum probat. Si forma rationalis interrogetur, videsne objectum? diceret: Nihil ego scio, & si interrogetur materia per impossibile, diceret: Nec ego scio, quomodo ergo uterque respondebit: scio.

RESPONDETUR retorquendo imprimis argumentum. Si queram ex semiulna: Esne Tu ulna? respondebit: Non! & si queram ex altera parte: Esne Tu ulna? respondebit: Non! cur ergo fieri poterit, ut utrumque simul sumptum dicat: sum ulna. Et sicut ex his duobus conflatur ulna, sic ex illis duobus, hoc quidem elicitive, illo receptivo, consurgit denominatio sentientis. Deinde directè respondetur, quod anima, ratione ejus, quod sit principium elicitive visionis, dicere possit: Ego video.

QUINTA RATIO ejusdem est. Anima debet immediatè recipere cognitionem, ut possit excitari ad amandum, quia idem debet esse principium cognoscens & amans, sed etiam ex sensatione materiali, determinatur anima ad appetendum. Ergo etiam anima debet esse cognoscens & recipiens cognitionem materialem.

RESPONDETUR, Imprimis negando, quod eadè anima, indispensabiliter debeat recipere cognitionem, & amare; cū sufficiat solum, ut eadè producat cognitionem & amet. Sed insuper disparitas dari potest, quia si nō idè esset princip. nōcitivū & vo-

& volitivum, voluntas ferretur in incognitum, quod absurdum est; & ex alia parte, intellectio-
ni est subiectum proportionatum anima; hoc
autem absurdum non sequeretur, nec simile, si
anima non reciperet in se cognitionem materia-
lem, cui etiam ab alia parte est improportiona-
ta, adhuc enim verè eadem anima erit sentiens,
& appetens, ratione ejus, quod idem principi-
um eliciat sensationem, & appetitionem, licet
illam sensationem non recipiat in se anima.
Unde ulterius dicitur, quod ad cognitionem,
(ut illa reddat cognoscentem) non sit necesse ut
informet immediatè, sic sufficit ut eliciatur, &
vel recipiatur si sit proportionata, vel indistincte ut
dictum supra. *Sed poterint Divinitus recipi
sensatio materialis in anima spirituali?* Hæc quæ-
stio decisa manet alibi, ubi diximus, accidens
materiale, posse Divinitus recipi, in subiecto spi-
rituali, quantumvis improportionato. Et ra-
tio est, quia id non implicat contradictionem.
Et quia extensionem illius, vel simpliciter potest
auferre Deus, auferendo quantitatem, vel impe-
dire effectum illius secundarium, qui est exten-
sio localis.

DICES cum Recentiori Suarez. Accidens
spirituale v. g. intellectio, si est distincta realiter,
non potest ferri extra suum subiectum, sicut nec
extra suum objectum. Atqui si poneretur in la-
pide intellectio, ferretur extra suum subiectum,
ergo non potest in illo collocari.

RESPONDETUR. Negando paritatem;
Disparitas, quia non est tanta connexio acciden-
tis spiritualis, quod est intellectio, cum subiecto,
quam cum objecto. Quod ipsum probatur.
Quia impossibile est esse intellectiorem, & non
esse alicujus objecti, hoc ipso enim non esset in-
tellectio, nihil enim intelligeret, quia si
intelligeret, hoc ipso esset objectum,
quod intelligeretur. Jam autem nullum tale
absurdum sequitur, si non sit intellectio in pro-
prio subiecto, cum possibile sit esse intellectio-
nem, & non esse subiecti intellectiorem, cum
possibile sit aliquid accidens (ut patet in quan-
titate Eucharistica) sine ullo subiecto esse. Per
hoc tamen non nego, quod accidens spirituale,
involvat semper & essentialiter, esse aptitudina-
le ad poni in subiecto spirituali. Deinde licet
nihil possit extra suum subiectum poni, si illud
subiectum respectu illius formæ recipiendæ, ne
quidem habeat rationem subiecti obedientia-
liter, potest tamen poni extra suum subiectum
connaturale. Nego autem quod subiectum
spirituale, non sit subiectum obedientialiter, re-
spectu accidentis materialis. Obedientialita-
tem subiecti quantum ad præsens per hoc expli-
cando, quod scilicet nullum detur agens natu-
rale, quod uniat accidens materiale alicui spiri-
tuali, possit tamen id facere supernaturaliter.

INSTAT Idem. Potentia productiva non
potest ferri in id, quod est non producibile, &

objectum adæquatum potentia productivæ, est
solum producibile, ergo & subiectum adæqua-
tum intellectivi, erit solum intellectivum.

RESPONDETUR. Verum esse totum, si proce-
dat conclusio de subiecto naturali. Sed si plus
intendat argumentum, negatur consequentia;
quia si potentia productiva ferretur ad non pro-
ducibile, hoc ipso non esset potentia producti-
va; non sequitur autem hoc ipso intellectiorem,
non fore intellectiorem, si poneretur in subie-
cto improportionato.

DIFFICULTAS III.

De specificatione potentiarum.

HÆC difficultas multis sui partibus resoluta
manet, ubi egimus de specificatione scien-
tiarum. Aliqua tamen in particulari hic ad-
dendo.

QUÆRITUR I. per quid specificentur Poten-
tiæ?

ASSERO I. *Si ve distinguantur si ve non distin-
guantur potentia ab anima, specificantur intrinsecè
à suamet entitate.*

RATIO. Quia specificatio rei intrinseca, est
differentia ejus à reliquis, & constitutio ejus-
dem, sed quicquid constituitur, non alio, à se
constituitur, sed sua entitate constituitur. Ergo
& sua entitate specificatur intrinsecè. Quia ve-
rò entitates rerum, & ipsorum prædicatorum in
seipsis spectatorum, sunt nobis ignotæ, recurre-
re solemus ad aliqua extrinseca, per quæ se pro-
dit illa res. Et ita quamvis indubiè detur ratio
prior in homine ipsa rationalitate, ex qua, tan-
quam ex radice, profluit prædicatum rationali-
tatis, quia radix est quid absolutum in se, ex quo
profuit id, quod est ad aliud, nempe rationali-
tas, quæ est principium actuum ratiocinandi,
adeoque aliquid respectivum, tamen ad ipsam
Rationalitatem tanquam ad aliquid notius re-
currimus, &c. Sic etiam in præsentem inquiren-
dum est aliquid extrinsecum, per quod prodant
se potentia, quodque est specificativum extrin-
secum, arguitivum, & indicativum ut ita dicam.
Hinc

ASSERO II. *Specificativum extrinsecum ulti-
mum potentiarum, si ve ille sint distinctæ, si ve non
distinctæ, est ipsa ratio formalis objecti ultima, ad
quam tendit per suos actus potentia.* Talis ratio
in intellectu est intelligibilitas objecti, in volun-
tate volubilitas, in visiva visibilitas. Quia ve-
rò visibilitas, intelligibilitas, volubilitas, & simi-
les termini, dupliciter accipi possunt, I. pro con-
ditione sub qua objecti, & sine qua, potentia
non posset versari, circa objecta. II. Pro ipso
objecto, secundum quod dicitur, quod intelle-
ctus, possit elevari ad videndum & in-
telligendum intuitivè, DEUM, quia
Deus

DEUS utpote intelligibilis est intra objectum, quod saltem supernaturaliter nosci possit: & in hac secunda acceptione intelligibile v. g. erit objectum intellectus.

RATIO asserti est. Quia quæcunque tandem ponatur circumscriptio specificationis, illa ostendet, secundum objecta, evenire specificationem potentiarum.

ASSERO III. *Etiā per actus specificari potentias extrinsecè.*

RATIO. Quia cum ipsi actus, sint quid distinctum à potentia, specificationem intrinsecam dare non possunt. Immediatius tamen specificabunt quā specificent objecta, quia potentia non nisi mediantibus actibus, habent jus verendi circa objecta, non specificant tamen ultimato, quia si ipsi actus specificantur ab objectis, apparet quod actus non sint ultima ratio specificandi.

QUÆRITUR II. An potentia diversarum specie animarum, sint specie distincta?

ASSERO I. *Si potentia non sint distincta ab animabus, distinctarum specie animarum distinctas fore specie potentias.*

RATIO. Quia ipsæ animæ sunt specie distincta inter se, ergo & identificata illis animabus, erunt specie distincta inter se.

ASSERO II. *Si potentia sunt realiter distincta ab anima, probabile est, esse adhuc illas distinctas specie intrinseca.*

RATIO. Quia imprimis certum est de aliquibus: & ita potentia generativa Leonis, est distincta à potentia generativa Hominis, nec posset generari, à potentia generativa hominis, leo. Hæ enim potentia, providentur à natura, in bonum hujus speciei, cui dantur. De reliquis etiam potentiis probabile; quia ipsis substantiis specie distinctis, magis sunt proportionata potentia specie distincta, hinc & organa sunt distincta, ut videre est in ipsamet constructione oculi ita variâ, specie distinctorum animalium.

ASSERO III. *Sive potentia realiter distinguantur ab anima, sive non, certum est illas specie extrinseca posse convenire.* Seu, quod idem est, posse similes actus, & circa idem objectum producere.

RATIO. Quia eundem colorem & leo percipit, secundum eandem rationem coloris, adeoque secundum specificationem extrinsecum.

* * *

